





BEATI

RAYMUNDI LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI, ET MARTYRIS  
Tertij Ordinis Sancti Francisci

LOGICA NOVA

JAM VALENTIÆ IMPRESSA ANNO 1512.  
Et nunc Palmæ cum libris Logica Parva, de Quin-  
que Prædicabilibus, & decem Prædicamentis  
Et de Natura.



PALMÆ BALEAR.

Ex Typis Michaëlis Cerda, & Antich,  
& Michaëlis Amoròs Typogr.

*Superiorum Permissu.*



M. D. CC. XXXIV.

# DEPARTAMENTO

DE ECONOMÍA Y FINANZAS

SECRETARÍA DE ECONOMÍA

LOGO TIPO

ESTADO DE GUATEMALA

REPUBLICA DE GUATEMALA

MINISTERIO DE ECONOMÍA Y FINANZAS

SECRETARÍA DE ECONOMÍA

ESTADO DE GUATEMALA

REPUBLICA DE GUATEMALA

MINISTERIO DE ECONOMÍA Y FINANZAS

SECRETARÍA DE ECONOMÍA

ESTADO DE GUATEMALA

REPUBLICA DE GUATEMALA

MINISTERIO DE ECONOMÍA Y FINANZAS

SECRETARÍA DE ECONOMÍA

ESTADO DE GUATEMALA

REPUBLICA DE GUATEMALA

APPROBATIO PERILLVSTRIS D. SALVATORIS  
 Artigues Præsbyteri, Artium Magistri, Philosophiæ  
 pro Lulliana doctrina ex-cathedratici, Sacræ Theo-  
 logiæ Doct̄oris, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris,  
 olim perpetui Parochi Villa de Artà, & nunc Ca-  
 nonici penitentiarij almæ Sedis Majoricarum.

**E**X commissione perillustris D. D. Nicolai de  
 Salas, & Berga, Artium Magistri, Juris utrius-  
 que Doct̄oris, nuper Rectoris Vniversitatis Littera-  
 riæ, Canonici Almæ Sedis, & Vicarij Generalis Se-  
 de Episcopali vacante, librum mei Archangelici  
 Magistri, Doct̄oris Illuminati, atque invictissimi  
 Christi Martyris Beati Raymundi Lulli, tota avi-  
 ditate perlegi. Huic tanto operi *Logicæ Novæ* titu-  
 lum, Beatus Auct̄hor infigit. *Novæ*, & proficiuæ  
 scientiæ, novum indidit nomen, ut sic novas, &  
 maximas utilitates, per eam toti orbi dimanatas,  
 præsignaret; nunquam enim cum tanta dexteritate  
 Regularum, Principiorum ordinatione, brevitate,  
 & facilitate, Plato, Aristoteles, neque Dialecticus  
 alius, sic fuit eloquutus; undè *Novæ Logicæ* nun-  
 cupationem, sibi tractatus iste optimo jure pro-  
 meruit.

Bonum in indito vocabulo nuntium! (\*) Res  
 Nova, Evangelium. Feriam domui Judæ fædus no-  
 vum,

(\*) Hierem. 3.

6  
vum. (\*) Ecce nova facio omnia. (\*) Vetera  
transierunt, sintque omnia nova. Et alibi, Sanctos  
cantasse canticum novum, legimus. Faustum  
omen, *Novæ Lullianæ Logica*, jam in nomine  
correspondens! Attende nunc ad quid valeat tam  
pretiosum opus.

Hominem, ut Deum agnosceret, & mente ve-  
ritatem attingeret, ab initio condidit supremus  
omnium Opifex; ideò ejus intellectui clarissimum  
indidit lumen, ut verum à falso, subtili contem-  
platione separaret: quod facili negotio obtinisset,  
si in eo bono, quo factus fuerat rectus, perseve-  
rare voluisset. Heu tamen! Violando Dei præcep-  
tum, vitio interiùs depravatus, & in apertam ino-  
bedientiam ruens, ab illo fœlici statu cecidit. Quo  
factum est, ut inter cæteras tanto facinori dignas  
pænas, illum caligo mentis obrueret, & primævam  
illam facem, quâ verum inter, & falsum Arbitrer  
erat, amitteret.

Verùm, ut hujus mali clementissimus Deus re-  
pararet jacturam, miris modis suo lumine nos  
illustrat; novitèr autem hac Lulliana Logica Nova,  
(\*) *cujus subjectum est veri, & falsi inventio*, quod  
Principijs, & Regulis Artis Generalis, qua B. Lullus  
fuit

(\*) *Apocalip. 21. & 14.*

(\*) *2. Chorint. 5.*

(\*) *Ita Illtus. Dr. in prologo ipsius Logica Nova.*

fuit è Cœlo illustratus, certè consequetur definiendo, demonstrando, & Logicè in primis, & secundis intentionibus procedendo. O magna consolatio! Felix homo, qui huic Logicæ Novæ pro viribus vacabit. (\*) *Beatus quem tu sic erudieris Domine.* Quàm facilè poterit per hujus libri *Regulas, & Principia* infidelium mentes evincere, ut suorum dogmatum falsitatem agnoscentes, indefectibilibus matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ veritatibus acquiescant.

(\*) *Omnes igitur sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate. Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac.* Quicumque in densis ignorantiaë tenebris infelicitè jaces, si ab illis, ad clarissimum veritatis lumen surgere cupis, veni ad fontem Lullianæ doctrinæ, undè satis tibi fieri poterit. Omnis enim Antiquorum sapientia, & doctrina in uno Raymundo invenitur. Infundit ei Deus altissimam, utilissimamque scientiam, & gavissus est: hocque gaudio omnes voluit esse participes. Cunctos vocat ad suæ infusæ sapientiaë fontem, ut ejus aquas in gaudio haurire possint. Omnem veritatem demonstrat, ad ejus consequutionem, hæc Logica Nova facillimam, & verè regiam stravit viam.

Igitur,

(\*) *Psalms. 93.*

(\*) *Isaya. 55.*

Igitur, in prædicta Logica Nova, atque etiam in parvulis libris, qui ex ipsa prodierunt, scilicet *Logica parva, liber* de quinque Prædicabilibus, & decem Prædicamentis, & liber de Natura, quique in calce ejusdem Logicæ Novæ, Aucthore eodem Illuminato Doctore hîc apponuntur, nihil inveni, quod Orthodoxæ fidei, & proborum morum principijs non consentiat; immò solùm ibi perlegi utilissima ad catholicæ veritatis propagationem, atque infidelium debellationem: quare ut dicti quatuor libri reimprimantur, dignum, & justum censeo. Palmæ Balearium die 16. Aprilis 1744.

*Dr. Salvator Artigues.*

Reimprimatur:  
*Can. de Salas V. G. S. V.*

Reimprimatur:  
*La Sierra Reg.*



CVM Logica Ars sit, & Scientia *Demonstrandi*: sicut, & Grammatica *significandi*, quæ per Logicam exigunt demonstrari: ideò cum ad opus, quatuor sint necessaria scilicet *Regula*, *Agens*, *instrumentum*, & *materia operis*, inde, ex his, quæ communia sunt, si cupis Lullianos libros in quibus *Figuræ*, & *Alphabeta* reperiuntur, sapere, aliqua hîc notatu digna selegi: Lulliana itaque Ars Generalis dat pro *Regula* *Figuram A*, cum suis litteris, & significatis, representantem Deum, & dignitates, vel attributa ipsius, tanquam *principium* infallibile, & necessarium, & fontem totius veritatis: & similiter omnium finem ultimum. Vnde.

Sicut *Regula* dirigit Agentem: sic *Figura A* dirigit ad *Figuram S*, quæ est *Figura Agentis rationalis*, & *Figura T* est *Instrumentum*, quo *Agens* uti debet practicando juxta *Figuram X* per *proposita*, & *opposita* ut consequatur finis operis, scilicet *Figura Y*, quæ est veritatis inventæ.

Interim etiam ibi commendo, avidè litteras alphabetales amplecti, si cupis intellectum exaltare, hoc est, *universalizare*, quoniam scientia est de universalibus. Duo itaque *particularia* exempla tradit Nr. Illtus. Dr. ut videbis, unum, pro Abstractis, scilicet *bonitatem*, deducendo eam per *Regulas Generales*:

nerales: & aliud pro *Concretis* scilicet *individuum*,  
in *Distinctione* 4. de *Centum formis* Cap. 1. & 2.

Vt ergo videas *Generalitatem* à singularibus *abstractam*, loco *bonitatis*, pone aliud *abstractum*, vel *veritatem*, vel *justitiam*, vel aliam ex *centum formis*: & id ipsum invenies, quod de *bonitate* dicitur: sicque formabis *Generalem abstractam notitiam*, & *regulatam*, ascendendo à particularibus ad *universale*. Similiter loco *Individui*, quod est *concretum*, colloca aliud de quo *investigare* volueris, & videbis idem de illo: ideoque *Magister* sæpius utitur *litteris*, ut *generalius*, & *scientificè* loquatur: fac & tu *similiter*, & *scies*: & sic *litteras*, nedum non *despicias*, immo *tibi*, & sic *tuo intellectui*, & *tuæ memoriæ*, quoniam *brevius*, & *generalius*, *servient*: sic enim videbis *plura in uno*, & *unum in pluribus*: & sic *intellectus*, *intelligendo* *quiescet*, & non *aliter*? non enim *quiescit in Opinione*; sed in *scientia*, ut *scientificis omnibus* *notum est*. Hæc tibi *propofui*, ne *jejunus ad libros alios Illi. Dris* *ingrediaris*.

*Ars* itaque *Lulliana* sequentia *Principia* *demonstrandi* *proponit* (supponendo prius, cujus sit *demonstratio*; an scilicet de *Absolute*, an de *Relato*, an de *Abstracto*, an de *Concreto*) scilicet.

*Necessitatem*, *Impossibilitatem*.

Et ex *Figura X*, sunt hæc.

Esse

Esse Privatio : Perfectio Defectus .  
Et iste est Generalis Quadrangulus, ex quo sequitur.

Bonitas Malitia : Magnitudo Parvitas.

Et iste est deductus ex Figura A. & multi alij  
deducibiles Item ex Figura S.

E. J. N. R. hoc est.

Diligere. Odire. Supponere. Dubitare.

Item ex Figura T. Triangulari, Quadrangularizata.

Differentia Confusio; Concordantia Contrarietas, &c.

Triangularitèr autem tantum, sic:

Differentia. Concordantia. Contrarietas.

Principium. Medium. Finis.

Majoritas. Æqualitas. Minoritas.

Quibus addes alia etiam Generalia, scilicet.

Essentia. Natura. Esse.

Essentia. Agentia. Actus. Itè in Nata.

Activum. Passivum. Connexivum.

Hæc omnia, & his similia, Principia sunt Demonftrandi, *ostensivè*, & *per impossibile*, ut communiter dicitur; & dicta, utpotè Generalia, cuilibet materiae applicabilia sunt: inde igitur Physicalia sequuntur, his Quadrangulis.

Aer. Terra. Ignis. Aqua.

Hæc substantialia sunt, & inde accidentalia.

Humiditas. Siccitas. Caliditas. Frigiditas.

Et inde pro Medicina humores.

Sanguis. Melancolia. Cholera. Flegma.

Et hæc cum suis gradibus, sine quorum perfecta cognitione claudicant Medici, & errant sæpè sæpius

pius

pius, & infirmus perit. Pro jure etiam est Quadrangulus, scilicet.

Justitia. Injuria. Pax. Bellum.

Vnde justitia, & pax osculatae sunt, sicut injuria, & bellum, Tandem pro Theologia est iste Quadrangulus.

Cognitio Dei, Ignorantia Dei: Amor dei, Odium Dei. Et inde pro Moralitate.

Virtus. Vitium. Vita. Mors.

Sed quoniam antiqui Philosophi, nec cognoverunt *summam Concordantiam* attributorum perfectorum in *unitate naturae* perfectae, excludente omnem *divisionem*: ideò non dederunt demonstrationem per Circulum, in quo perfecta *unitas* representatur. Et quia notum est, quod Quadrangulus supponit Circulum, & Angulos: sicque etiam Triangulum; ideò N. Illus. Dr. credens, & intelligens unitem, & Trinitatem Divinam significatas per Circulum plenum, & perfectum: sicque Triangulatum, ex hoc fonte traxit modos alios inveniendi, cognoscendi, & demonstrandi veritates, & primò primam.

Sicut enim Summum *ens* secum necessariò adfert summam *bonitatem*: & summa bonitas, summam *magnitudinem*: & summa magnitudo, summam *durationem*: & summa duratio, summam *potestatem*: & summa potestas, summam *Sapientiam*,

*tiam*: & summa sapientia, summam voluntatem:  
 & summa voluntas, summam Virtutem: & sum-  
 ma virtus, summam Veritatem: & summa veritas,  
 summam gloriam: & summa gloria omnem per-  
 fectionem, &c. quam Deus verus debet necessario  
 habere: ideo Deus est, quia est omni perfectione ple-  
 nus, & sic per Circulum, unitas Dei. (\*)

Quoniam etiam summo enti, necessaria est sum-  
 ma Concordantia, summa Differentia, & summa  
 Aequalitas, quæ sunt primæ radices relatorum: sicut  
 summa bonitas, &c. absolutorum: ideo sicut per uni-  
 tatem significatam per Circulum invenitur, cognos-  
 citur, & demonstratur unitas Dei; ita ex vi summæ  
 differentia, summæ Concordantia, & summæ Aequa-  
 litas in natura ipsa divina perfectè fœcunda, &  
 perfectè plena: cum necessario sit perfectè fœcun-  
 da, & perfectè plena: sic in fœcunditate per-  
 fectæ plenitudinis: & in plenitudine perfectæ fœ-  
 cunditatis, quæ fœcunditas plenitudinis perfectæ,  
 vel plenitudo perfectæ fœcunditatis, necessario exi-  
 git Agentiam perfectam, & sic Agentem perfectum,  
 & Agens perfectum, & Agibile perfectum; & isti duo  
 Agere perfectum, & vi summæ differentia summæ  
 Concordantia, & summæ Aequalitatis in ipsa natura,  
 invenitur, cognoscitur, & demonstratur Trinitas in  
 unitate, & unitas in Trinitate, quod per Circulum

Tri-

(\*) Hæc de Figura A, quæ est Dei.

Triangulatum significatur. (\*)


Vnde sic, & non aliter, *Agentia* habet *Concordantiam*, & *Æqualitatem* cum *Essentia*; & *Differentia* ponit distincta, concordantia, æqualia intra ipsam naturam, cujus est *Essentia*, & *Agentia*. Similiter fecit D. Augustinus sub *Figuris* sensualibus disputans contra Arium negantem æqualitatem Patris Divini cum Filio.

Et sic quis, nisi ignorantiae cupidus, *Figuras*, & *litteras* despiciet: sicut ergo *sensualiter cœli enarrant gloriam Dei*: sic scientiæ *intellectualiter* illam manifestant.

Hæc, quamvis pauca: & sic recolitu facilia, recolle sæpiùs, & multa intelliges, & vera, & bona diliges; mala autem odio habebis, & finalem gloriam, Deo semper juvante consequeris. Vale.

(\*) *Hæc de Figura T.*









# DEUS

CVM TVA GRATIA, ET BENEDICTIONE  
incipimus novum, & compendiosum hoc opus,  
ubi Novam Logicam compilamus.

## PROLOGVS.



Considerantes veterem, & antiquam Logicam, propter sui prolixitatem cum labore maximo plenius acquiri ab inquirentibus eam, & acquisitam, propter sui labilitatem cum nimia difficultate in memoria diutius retineri; idcirco ad prolixitatem, & labilitatem hujusmodi evitandam, (divino auxilio mediante) cogitavimus Novam, & compendiosam Logicam invenire, quæ citra nimiam difficultatem, & laborem, ab inquirentibus eam, acquiratur, & acquisita in memoria plenariè conservetur, ac inibi totaliter, & facillimè teneatur. Verùm quia Logici consideratio versatur circa secundas intentiones, quas, primis ignoratis, nemo potest perfectè cognoscere: ideo in hoc nostro compendio, & novo opere, ponentes, diffinientes, & demonstrantes, in aliquibus passibus, Naturaliter, ac Philosophicè procedemus, ut Naturaliter, & Logicè habeatur clara, & plena notitia primarum, & secundarum intentionum à scientibus

## 2 107 PRIMA DISTINCTIO.

bus hunc librum. Erit igitur subjectum hujus Artis, Inventio veri ac falsi, cui quidem negotio passim subvenientes modò cum Principijs, modò, cum Regulis Artis Generalis auxiliabimur, ut in demonstratione clariùs cognoscatur, & in habitu memoriæ radicabiliùs atque tenatiùs fiat.

### DIVISIO HVJVS ARTIS.

1 **D**ividitur ista ARS in septem Distinctiones. Prima est de *Arbore*, quam Naturalem, & Lògicalem vocamus. Secunda de quinque *Prædicabilibus*. Tertia de decem *Prædicamentis*. Quarta de centum *formis*, seu diffinitionibus. Quinta de *syllogismo*, & de his, quæ ad syllogismum pertinent. Sexta de *Applicatione*. Septima de *Quæstionibus*.

2 Prima distinctio ponitur, ut Ars per ipsam, fiat magis significativa. Secunda, ut sit generalior, & eadem ratione ponitur Tertia. Quarta, ut Artista recurat ad definitiones centum formarum, ut ipsi sint medium, & materia ad desideratam conclusionem reperiendam. Quinta, ut doceatur, quo pacto debeat syllogismus fieri, ac cognosci. Sexta, ut Artista sciat applicare Arborem, & sequentes Distinctiones, quæ Generales sunt, ad id Particulare quod quærit, & desiderat. Ponitur tandem Septima ut Artista sciat facere quæstiones, & earum solutiones cognoscere, in passibus, sive locis textus hujus Artis.

### DE DIVISIONE PRIMÆ DISTINCTIONIS.

1 **T**Runcus siquidem hujus Arboris in sex partes divisus est, ut in ipso per ejus nodos manifestè apparet: eodem modo, de divisione suorum florum. In primis igitur primordia principalia hujus Arboris, nec non, & aliarum Distinctionum per ordinem definiemus, ut Ars sit demonstrabilior, atque probabilior, & in sui de-  
monf-

monstratione magis necessaria, ab Ente sumentes exordium.

## CAP. I.

## DE ENTE.

**E**Ns igitur commune substantiæ, & accidenti, est quoddam consideratum valde confusum, & innominatum. Dico valde confusum, quia omnia sub se continet, & nullam habet specificationem, nec numerum; innominatum autem, quia sibi non est nomen impositum, & istud quidem tale confusum, prædicatur de substantia, & accidente analogicè. Unde quemadmodum confusum prædicatur de ente, ita, & ens de substantia, & accidente. Hæc autem definitio, cum sit causa quare decem Prædicamenta, quæ Generalia sunt, diffiniri possunt, utilis est, & pernecessaria. Ens siquidem est considerabile tribus modis.

2 Primo, sicut ens quod est *in potentia*, & ens quod est *in actu*. *In potentia*, ut arbor, quæ consistit in potentia seminis; *in actu* verò iterum duobus modis, videlicet *in actu primo*, & *in actu secundo*. *In actu primo*: sicut arbor producta de *potentia* in *actum*; *in actu verò secundo*, ut actus arboris quando fructificat, & actus intellectus, qui est intelligere, & sic de alijs.

3 Secundo modo: *ens* considerabile est dupliciter; Primò, sicut *ens* quod in se est id, quod est; velut substantia, quæ in se est *ens*, eò quod per se existit. Secundò, sicut *ens* quod est in alio, eò quod per se non existit, & tale *ens* est accidens in substantia, & existens per substantiam; non autem in se, nec per se.

4 Tertio modo: *Ens* consideratur secundum, *Vnum*, & *Plura*. *Secundum unum*, duobus modis: sicut *ens simplex*, ut Deus, qui est *ens simplex*; Et *ens simplex unum per suum*

suum numerum, licet de pluribus rebus sit compositum: ut Socrates, qui unus est simplex numero, quamvis de pluribus sit compositus, de corpore videlicet, & de anima. Ens verò secundum plura: sicut substantia, & accidens: substantia, & substantia: accidens, & accidens: individuum, & individuum. Sub his tribus modis, omne *Ens* continetur.

5 *Ens substantiale* dividitur in octo partes, videlicet in Deum, Angelum, Cœlum, Hominem, Elementativam, Vegetativam, Sensitivam, Imaginativam, & his similia in genere, sive in specie. Sub istis generalibus substantijs continetur quidquid est substantia.

6 *Ens verò accidentale* est duplex, *formale*, & *actuale*. *Formale*, sicut quantitas, qualitas, &c. *Actuale* verò, sicut qualificare, quantificare, &c. Sub istis duobus accidentibus consistit quidquid est accidens.

7 Est item accidens duplex: inseparabile, & separabile. Inseparabile, ut caliditas ab igne; separabile verò, ut caliditas ab aqua; Curvitas autem à naso, & nigredo à Cornice sunt inseparabiles, licet per accidens sint separabiles; homo enim imaginari potest nasum directum, & cornicem albam: & sic de actu inseparabilis accidentis, ut fenescere, & canescere. Risibilitas etiam est proprietas inseparabilis, sed actus ejus separabilis est, cum homo quandoque rideat, quandoque non.

8 Accidens item est duplex, nam quandoque est in potentia, quandoque in actu: sicut accidentia sensibilia, quæ modò sunt in potentia, modò in actu: ut calefacere, quod est in potentia in aqua frigida: & in actu, quando est calida; quando vero calefacta est, frigefacere existit in ea habitu, cum frigiditas sit sua propria qualitas. Accidens quidem: ut figura, & color, visibile est, non audibile, nec tangibile, nec odorabile, nec gustabile; Auditus enim, non attingit potentiam soni, sed actum so-

ni, & sic de reliquis suo modo.

9 Accidens iterum est duplex. Universale unum, aliud Particulare. Universale, ut ægritudo, mors, & comestio in subjecto, nam ista sunt communia omnibus animalibus. Particulare verò, ut hic homo albus, ille niger, hic tristis, & ille lætus. Accidentium item, aliud *Proprium*, aliud *Appropriatum*. *Proprium*, sicut caliditas ignis; *Appropriatum* verò, ut siccitas ipsius, quam terra ipsi appropriat.

10 Sunt etiam alia genera accidentium, ut ardere in ligno, cujus accidentis, ignis est causa; homo verò igni lignum apponens, illius accidentis est occasio: similiter, & de alijs accidentibus, quæ non fiunt causalitèr, sed occasionalitèr, ut homo offendens casu fortuito denarium, vel suum inimicum, vel leonem, &c. De accidente aliàs sumus dicturi, modò, ut ulterius procedamus ista sint fati-

## CAP. II.

## DE SUBSTANTIA.

1 **S**ubstantia est ens quod per se existit. In cujus definitione non ponimus propriè nec maximè, cum ea ad plures definitiones se habeant, & id quandoquidem facimus, ut definitionem magis restringamus.

2 Substantia in duas partes dividitur, videlicet in *Incorpoream*, & *Corpoream*. *Incorporea* iterum in tres partes, *Divinam*, *Angelicam*, & *Rationalem Animam*. *Corporea* verò in quinque, videlicet *Cœlestialem*, *Elementalem*, *Vegetalem*, *Sensualem*, & *Imaginalem*.

3 Substantia igitur divina est spiritualis, insensibilis, inimaginabilis, & convertitur in identitate numeri cum Divina essentia, quæ est Deitas, cum sit una Divina Bonitas, infinitas, æternitas, & sic de reliquis divinis proprietatibus; alioquin nisi divina essentia, & divina sub-

stantia

tantia essent idem numero, substantia haberet esse per essentiam, & non per se, & essentia subsisteret per substantiam, & non per se ipsam, quod est impossibile, cum in Deo non sit accidens; *in ente enim infinito, & aeterno non potest esse accidens. Ipsa quidem Divina substantia, cum sit infinité, & aeterné, bona, magna, potens, &c. per existentiam, ita est bona, magna potens, &c. per suam propriam naturalem, & coessentialiam agentiam.*

4. Substantia Angeli est *ens spirituale creatum, corpori non conjunctum*, ita ut nec sentiri potest, nec imaginari. Unde substantia Angeli non est lineata, figurata, colorata, nec habet aliquid de genere corporis; sed est ea creatura, quæ magis extat similis Deo, ratione cujus similitudinis, substantiam corporalem attingit, absque organo corporeo, & pariter ea, quæ sunt de genere corporis, ut est color, figura, motus, & similia. Et hoc facit Angelus recolendo, intelligendo, & amando. Substantia item Angeli cum essentia Angeli, non potest converti; *essentia enim in creaturis, ita se habet ad esse: sicut abstractum ad concretum*, ut bonitas, ad bonum, caliditas ad calidum, humanitas ad hominem; substantia autem se habet ad substantiatum, in quo substantiato, ipsum concretum, per essentiam est contentum.

5. Notitia de Angelo haberi potest per suas coessentialiales potentias, humano intellectu ipsas aperiente, & discernente, quæ sunt memoria, intellectus, & voluntas, &c, quibus Angelus est compositus, ut per ipsas, Deum recolat intelligat, & amet. Intellectus autem humanus tunc ipsas aperit, quando considerat ea, quæ in ijs verè sunt necessaria, coessentialia, & primaria, ut in memoria, *memorans memorabile, & memorare*: in intellectu, *intelligens, intelligibile, & intelligere*: & in voluntate, *volens, volibile, & velle*, ex quibus ipsæ potentia constitutæ existunt.

6 Substantia Angeli non habet ante, nec retrò: dextrum, nec finistrum: superius, nec inferius, cum non sit lineata, & ista sint de genere corporis: itaque cum Angelus, ab his remotus existat, locum non occupat, existens in loco, nec motum habet in tempore, *cum occupatio loci, & motus in tempore; esse non possint absque his sex mensurationibus prope dictis*, quibus mensuratur, & remanet situata substantia corporea.

7 Substantia Animæ rationalis talis est per suam essentiam, & suas partes, qualis est substantia Angeli; Differunt tamen in hoc, quod substantia Angeli non est corpori conjuncta; anima verò sic. Et Angelus non est, ut per ipsum sit aliud; anima verò est, ut per ipsam sit homo. Et Angelus attingit absque organo corporeo; anima verò conjuncta, non. Anima est tota in qualibet parte corporis, eò quia indivisibilis est, & tota conjuncta, & totum corpus est animatum per ipsam. Quæ quidem anima, corpori infusa, deducit illud in speciem humanam; sed quando ab ipso recedit, privat corpus humana specie; nam quemadmodum per assumptionem, & informationem corporis, præstat corpori speciem humanam: sic per separationem ab eo, spoliat ipsum humana specie. Homo item movet animam, ut agat cum suis proprijs potentijs, & anima movet corpus, ut agat similiter cum proprijs potentijs; nam sicut homo movet voluntatem ad volendum, ita anima movet corpus ad vegetandum, & sentiendum. Hæc de anima quantum ad præsens dicta sufficiant, quamvis dici possint multò plura.

8 Substantia *Cælestis* maior est magnitudine corporali, eò quod magis continet, & ambit. Substantia cælestis est incorruptibilis; cum non sit constituta ex partibus contrarijs, quia ipsius partes curvæ sunt. Ipsa autem substantia est subjectum primo motui, per prius  
*Movens*

*Movens, mobile, & movere* sibi còessentialia, & naturalia. Substantia item Coeli circularis est, ut suus motus sit continuus; & instantaneus, & extrà successivus circulariter, & causa motus eorum inferiorum, quæ per recitationem, & tortuositatem moventur.

9 Substantia *elementalis* est ens, ex quo derivantur, & effluunt omnes substantiæ elementatæ. Quæ quidem substantia composita est ex Generalibus materia, & forma; de quibus omnes materiæ, & formæ secundariæ exeunt, & procedunt. Formas autem, & materias secundarias, vocamus eas res, ex quibus constituuntur individua specierum.

10 Substantia *vegetativa* est, sicut substantia arboris, rosæ, & hujusmodi, & dicitur vegetativa, quia habet animam vegetativam, per quam vegetat, & generando convertit in se elementa composita, & deducendo ea in suam speciem, ut homo, qui comedendo panem, ipsum convertit in suam carnem per vegetativam, denu-dantem ipsum panem ab specie panis. Hæc autem vegetativa plantata, ædificata, & inserta in elementativa, ex ea crescit, nutritur, & vivit, vegetativa dante esse elementativæ, in specie vegetandi, sicut forma dat esse materiæ.

11 Substantia *sensata*, ideò dicitur *sensata*, quia habet animam sensitivam, sicut substantia Leonis, Gruis, Anguillæ, &c. Ratione cujus animal sentit, videndo, audiendo, & sic de alijs. Sensitiva quidem plantata est, fundata, & inserta in vegetativa, & per ipsam, in elementativa, quæ quidem tres substantiæ, substantiam Leonis constituunt, & reliquorum animalium.

12 Substantia *imaginativa* est, sicut substantia hominis, leonis, &c. Et dicitur imaginativa, quia habet animam imaginativam, quæ est de genere corporis. Quæ

imagi-



imaginativa fundata est in potentijs inferioribus, eò quod Leo imaginatur substantias remotas à suo visu, & cum imaginativa habet naturalem instinctum, & appetitum venandi, & reliqua necessaria exequendi ad vitam tuendam, & sustentandam. Substantia hominis dicitur rationalis eò quod habet animam rationalem, cum omnibus potentijs inferioribus conjunctam, de qua superius loquuti sumus.

13 Substantia verò *corporea inanimata* est: sicut substantia ignis, & aliorum elementorum, & substantia auri, ferri, & aliorum metallorum, &c. Et dicitur inanimata, quia caret vegetativa, sensitiva, & cæteris potentijs. Habet tamen modum existendi, agendi, patiendi, componendi, & purificandi cum proprijs accidentibus, ut ignis, qui cum sua caliditate calefacit, & cum levitate ascendit: & terra, quæ cum sua siccitate desiccatur, & cum gravitate descendit. De substantia sit satis, cum, adhuc de ipsa simus dicturi.

## CAP. III.

## DE CORPORE.

1 **C**Orpus est *substantia ex punctis, lineis, & figuris plena*. Ex punctis, quia punctus cum puncto constituit lineam: & linea cum linea constituit figuram. Figuræ vero tres sunt, *Circularis, Triangularis, & Quadrangularis*. Circularis, sicut Cælum, quod est corpus concavum, & rotundum: & sicut Sol habens figuram circula-rem, & sphericam, & corpus piperis, pomi, & similia. Triangularis, ut nasus hominis, cor, lingua, clypeus, & hujusmodi.

2 Quadrangularis, velut unguis, facies, palma, arca quadrata, &c. Ex his quidem figuris sequitur in elementatis alia figura communis, & composita: sicut corpus hominis, quod figuratum est per *longum, latum, & profundum*.

10 DE CORPORE, DE ANIMALI.

*dum*; ut per capitis, & colli rotunditatem; & per ungues, quadrangularitèr, & per nasum, triangularitèr, ut supra. Corpus autem aliud est Animatum, aliud Inanimatum. Animatum, sicut corpus hominis ut dictum est. Inanimatum verò, sicut corpus ignis, &c. Ut dictum est superius.

CAP. IV.

DE ANIMALI.

**A**nimal est *substantia vivens, & sentiens*. Sed animalium quoddam est Rationale, quoddam Irrationale. Rationale, sicut Angelus, & homo. Angelus tamen est animal (\* ) immortale; homo verò mortale. Irrationale est: sicut leo, gallina, & hujusmodi. Animal autem dicitur ab anima: sicut materia à forma; nam sicut forma dat esse materiæ, sic anima dat esse corpori, cui extat conjuncta. De Animali superius dictum est.

CAP. V.

DE HOMINE.

**H**omo est *animal homificans*. Hæc definitio est magis specifica, & magis convertitur cum definito, quàm ista: homo est animal rationale, & mortale; quia Angelus etiam est de genere, & natura rationalitatis, & Leo de genere mortalitatis, &c. Consimilitèr dici potest: Deus est *ens deificans*, & sua æternitas, ens æternans, & infinitas infinitans. Et ignis est ens igniens: Leo leonans: planta plantificans: homo faber fabricans, &c.

2 Et idcirco hæc definitio est magis propria, quia intimioris est proprietatis, & immediatioris subjecti. Homo tribus modis consideratur. Primo, ut homo Socrates, vel Plato. Secundo, ut homo species. Tertio, ut homo

(\* ) S. Grego. Papa. Hom. 10. in Evangelia.

imaginabilis in absentia sensus: vel, ut homo pictus in pariete, qui non est verus homo. De homine ad præsens dicta sufficiant.

## CAP. VI.

## DE QVÆSTIONE.

**Q**Væstio est. *Petitio rei ignota*. Ut cum petitur aliquid, quod homo non intelligit, & intelligere cupit. Quæ (ut diximus in Arte Generali) dividitur in decem Partes Generales, quæ sunt istæ: *Vtrum sit. Quid est. De quo est. Quare est. Quantum est. Quale est. Quando est, fuit, vel erit. Vbi est. Quomodo est. Cum quo est*. Nam omnes Quæstiones fiunt secundum istos decem modos: unde dicuntur Regulæ Generales *Quæstionandi*, quælibet ipsarum habens suas species.

Nos autem Primam Regulam significamus per B. Secundam per C. Tertiam per D. Quartam per E. Quintam per F. Sextam per G. Septimam per H. Octavam per I. Nonam, & Decimam per K. Quod id circo facimus, quia per hujusmodi litteras intendimus quandoque supradictas Regulæ significare, ad declarandam veritatem rerum quæsitæ. Et primo de prima dicemus.

## CAP. VII.

## VTRVM PRIMA REGVLA. B.

**I**sta Regula quærit de *possibilitate*; nam *Vtrum* se habet ad duo, videlicet ad *Affirmationem*, & *Negationem*, ut intellectus non sit impeditus, sed liber ad investigandum, & intelligendum veritatem. Nam intellectus quando supponit impossibile, ad unum tantum se habet affirmando, vel negando, & consequentis destruit contingentiam: ut si quis diceret impossibile esse: Mundum

dum fuisse creatum. Per talem positionem, intellectus non posset esse investigativus, nec practicus, sed remaneret ligatus, & ignoranter obstinatus, cum quo meum consilium est, non esse disputandum.

2. Conditio igitur hujus Regulæ est, quod Artista, inquirens veritatem, non subito se determinet affirmando, vel negando, ne postea in meta constitutus, aut cogatur præconcessa negare, aut prænegata concedere; sed supponat primò utramque partem esse possibilem, & postea concedat verum esse id, quod sua memoria magis recolit, & intellectus magis intelligit, & voluntas magis amat, ne faciat impossibile de contingenti; hoc est, quod ea pars, quæ minus recolitur, minus amatur, & minus intelligitur, relinquatur pro impossibili.

3. Quæ quidem investigatio debet fieri per intellectum, qui investigativus est; non autem per memoriam, nec per voluntatem, quia non sunt potentia investigativæ. Memoria enim *retentiva* est; Voluntas *electiva*; Intellectus verò potentia *inventiva*. At si memoria nimis immodestè recolit, & voluntas nimis diligit, intellectu remanente creditivo, & non practico, nec investigativo, tunc fieri potest, quod intellectus supponat verum esse, quod falsum est, & è contra; existit enim tunc temporis infirmus, per nimios actus (ut diximus) memoriæ, & voluntatis; sed hæc Regula non est conditionata cum tali intellectu; sed cum intellectu sano, practico, & vero.

## CAP. VIII.

### QVÆSTIO SECUNDA REGVLÆ. C.

C. 1. **I**sta Regula est de *definitione*. Et habet quatuor species. Prima, est quando petitur definitio rei: ut cum quæritur, quid est homo? Cui rectè respondetur.

Homo

Homo, est *animal homificans*.

2 Secunda species est, quando de eo quæritur: quid prædicatur de partibus coessentialibus subjecti: ut cum dicitur: substantia hominis quid habet in se coessentialia, & naturale? Cui rectè respondetur. Habet corpus, & animam, quæ sunt ejus partes coessentialia substantialia, & naturalia: eodem modo de intellectu, qui habet in se coessentialia substantialia, & naturalia. *Intelligens intelligibile, & intelligere*, ex quibus est constitutus.

3 Tertia species est, quando quæritur: *quid est aliquid in alio*? Ut quid est homo in alio? Et respondendum est. Homo in quantitate est quantus, in qualitate qualis, in arte mechanica mechanicus, & sic de reliquis.

4 Quarta species est, quando quæritur: *quid habet res in alia re*? Ut quid habet homo in alio? Et respondendum est. Homo habet albedinem in colore: bonitatem, in virtute: vitium, in peccato: pecuniam in arca: dominum, in castro, &c.

## CAP. IX.

## DE QVO TERTIA REGULA. D.

1 **I**sta Quæstio est de *Materialitate*, materiam significans, de qua Logicus Syllogismum constituat, & habet tres species. Prima species est *Primitiva*, ut homo Socrates, qui est de se ipso, cum habeat conversionem cum suo numero.

2 Secunda species est *Derivativa*: sicut homo Socrates, qui est de suis primis parentibus, & de sua anima, & corpore constitutus.

3 Et Tertia species est *possessiva*: ut Socrates, qui est Dei: accidens, substantiæ: caliditas, ignis: cursus, currentis: Civitas Regis, &c.

## CAP.

QUARE QUARTA REGVLA. E.

E. 1 **I**sta Quæstio est *Formativa, seu Causativa*, habens duas species. Prima est, ut quando quæritur. Quare est homo? Cui respondetur: homo est, quia ex anima, & corpore constitutus est. Quare est panis? Quia compositus est ex farina, & aqua, & calefactus, & decoctus per ignem. Per hanc speciem Logicus, & Naturalis docetur invenire maximas necessarias, & primarias, ex quibus faciat necessariam conclusionem.

E. 2 Secunda species est *ratione finis*, ut cum quæritur. Quare est homo? Et fit responsio: Homo est, ut Deum recolat, intelligat, diligat, & honoret, ipsique servitium exhibeat, & ut omnes corporeæ creaturæ serviant Deo Authori suo, deservientes homini justo; quod non possent facere, nisi mediante homine, cum Deus non sit sensibilis, nec imaginabilis. Et hæc secunda species causat primam *ratione finis*.

CAP. XI.

QUANTVM QVINTA REGVLA. F.

F. 1 **I**sta Quæstio est *quantitativa*, eò quod quærit de quantitate, & habet duas species secundum quas, quantitas est divisa in quantitatem *continuum*, & *discretam*. Prima est, sicut homo, qui habet quantitatem continuum, per quam extat quantificatus, & determinatus. Per istam speciem aptè respondetur quærenti Quantus est homo? Homo est tantus, quantus quantificatus est.

F. 2 Secunda species est, sicut idem homo, in quo sunt plures quantitates discretæ, à continua derivatæ, & effluxæ: ut quinque potentia, quæ sunt elementativa, vegetativa,

tativa, sensitiva, imaginativa, & ratiōativa, & quinque quantitates digitorum, & sic de reliquis. Ista Regula docet Logicum reperire quantitates *continuas*, & *discretas*, in syllogismo.

## CAP. XII.

## QVALE SEXTA REGVLA. G.

1 **I**sta Quæstio est de *qualitate* habens duas species G. secundum quas; qualitas est divisa, scilicet in *propriam*, & *appropriatam*, ut bonitas naturalis in homine, quæ est ei sua qualitas propria: similiter sua risibilitas.

2 Qui quidem homo si justus est, sua justitia est ei G. habitus bonus appropriatus ex bonis moribus constitutus: & caliditas in igne, quæ est sibi propria qualitas, & fictitas appropriata ipsi per terram. Ista Regula docet Logicum facere demonstrationes necessarias mediantibus *proprijs* qualitatibus; & probationes, mediantibus *appropriatis*.

## CAP. XIII.

## QUANDO SEPTIMA REGVLA. H.

1 **I**sta Regula, sive Quæstio quærit de *tempore*, H. & habet quindecim species, ( ut in Arte Generali dictum est ) quatuor per secundam Quæstionem. Tres per tertiam. Quator item per nonam. Et alias quatuor per decimam. Per has quindecim species, licet cognitio temporis sit multum difficilis intellectu; aliquo tamen modo, est cognoscibilis; sed quia aliàs de tempore largiùs sumus locuturi, hìc de ipso breviter, & compendiosè dicemus.

2 Et primo, cum quæritur de tempore in homine. H. Respondetur per primam speciem sic ipsum definiendo. *Tempus est illa creatura, in qua homo minùs consistit.* In

tem-

tempore enim non existimus nisi per nunc sive per præsens punctum, quod adeò diminutum est, quòd remanet indivisibile. In quo nunc sive instanti homo temporificatus est, & de uno instanti in aliud successivè mobilis, habente tamen ipso homine totum suum esse in eo nunc in quo existit.

H. 3 Tempus item est de se ipso, in quantum est Principium primitivum, non derivatum ab aliquo, sed est causa motus, & mensurationis, quare omnia creata consistunt in tempore, & de uno instanti in aliud successivè progrediuntur.

H. 4 Tempus possessivè est substantiæ totius Universi, in quo tempore substantia noviter est incepta, & habituata. Per istam Regulam docetur Logicus quomodo tempus sit in subjecto, & in motu, cum quo est.

#### CAP. XIV.

##### VBI OCTAVA REGVLA. I.

I. 1 **I**sta Regula sive Quæstio quærit de loco, & habet tot species, quot habet Regula supra dicta de tempore. *Locus igitur est illa forma propter quam substantia extat locabilis.* Unde quando quæritur: homo quomodo locatus est in loco? Respondendum est per definitionem, quæ data est de loco; est enim in loco, sicut subjectum in suo habitu. Homo item sic habet totum se ipsum in suo loco, ut in illo instanti in quo existit; locus enim in quo homo consistit, est sicut suus habitus: ut caliditas, quæ est habitus ignis, nam homo sic habituatus est cum loco, sicut ignis cum caliditate, & coloratum cum colore. Hæc Regula docet Logicum facere conclusiones de loco.

#### CAP. XV.

##### QVOMODO



## QUOMODO NONA REGULA.

1. **I**sta Regula petit de *Modo*: ut cum quæritur: K 1.  
 homo quomodo est homo? Et habet quatuor species. Prima est; ut cum quæritur: quomodo pars est pars?

2. Secunda: quomodo alia pars est in alia? K 2.

3. Tertia: quomodo pars est in toto? Et totum in suis partibus? K 3.

4. Quarta: quomodo totum transmittit extra se similitudinem suam, & partium, ex quibus est constitutum. K 4.

Per istas quatuor species cognoscitur quomodo homo est homo: ut homo, qui est homo per modum generationis gignendo, & infundendo in matricem mulieris semen, humido radicali, & nutrimentali immixtum. Quod quidem nutrimentale humidum subjectum extat gignentis, ut infundat similitudinem humidi radicalis in fæminam generando, & transmutando humidum nutrimentale, sic, in speciem radicalis: ut vegetativa plantæ, elementum, in suam speciem: & homo, panem in suam carnem.

## CAP. XVI.

## CVM QVO DECIMA REGULA.

1. **I**sta Quæstio est de *Instrumentalitate*: Et habet K 2.  
 tot species, quot habet Regula supra dicta. Sicut, cum quæritur: *homo, cum quo est homo?* Et respondendum est. *Homo est cum suis partibus coessentialibus*, quolibet parte existente in alia: sicut anima in corpore, & è conversò: & substantia in suis proprijs accidentibus, & è contrà, ipsis, in ipsa, cum quibus mittit extrà se suas similitudines.

2. Est etiam homo cum suis proprijs parentibus, & cum influentijs corporum superiorum, & fine ultimo ad quem

quem fuit creatus. Dicitur est de Prima Distinctione, quæ est subjectum, & materia ad alias Distinctiones; dum tamen, ad Arborem, pro ut constituta est, fiat recursus, & repetitio.

## DISTINCTIO II.

*De Quinque Prædicabilibus.*

## CAP. I.

## DE GENERE.

B. 1 **Q**uæritur Utrum Genus sit ens reale? Et dicimus: quod sic. Quod probamus quinque rationibus, juvante Regula B. Prima ratio est. Cum corpus sit ante in natura, quam animal ( ut in Arbore significatur ) necessario sit, quod corpus sit Genus reale; alioquin corpus non esset naturaliter divisibile in corpus animatum, & corpus inanimatum; sed intentionaliter, quod est impossibile.

2 Secunda ratio. Quia natura Universi non patitur vacuitatem, quod faceret, si Genus non esset ens reale; quia tunc esset aliqua veritas generalis indivisibilis, quæ esset Genus, & non esset Genus, quod est contradictio; Unde sequitur, quod Genus est ens reale; est enim *Unum numero, quod prædicari potest de pluribus specie differenti-* bus. Quod quidem Genus invisibile, & inimaginabile est, & per solam animam attingibile, & remanens ens reale extrâ ipsam, ut probatum est.

3 Tertia ratio. Tria sunt entia generaliora, & integriora; videlicet *substantia Cæli, Elementorum, & Individuorum*; ex quibus constituta est substantia mundi, quæ constitutio foret impossibilis, si Genus non esset ens reale; quoniam hæc tria essent distincta per discretas quantitates,

tes, minimè per continuam quantitatem participantés, quòd est impossibile; cum Mundus sit ex ipsis compositus.

4 Quarta ratio. Si Genus non esset ens reale, ut corpus significatum per B., inferiora hæc videlicet individua specierum, non reciperent influentiam à corporibus supra cœlestibus, eò quod deficeret subjectum, & medium influentiæ supravenientis, quæ accidens est. Sequitur ergo quòd Genus est ens reale, in quo influentia sustentatur.

5 Quinta ratio. Posito, quòd omnia animalia destruerentur, habitus tamen animalitatis, sic remaneret potentialiter in suis primis Principijs, & in eorum natura, sicut habitus frigiditatis sustentatur in aqua calida, qui ibi subsistere non posset, si aqua non esset ens reale; Subjectum autem habitus illius animalitatis, dicimus esse ens reale, quod Genus vocamus, ut ostensum est per Regulam B.

1 Genus quid est? *Genus est ens consideratum, & valde confusum, quod predicatur de pluribus specie differenti- C1.*  
*bis: ut animal de homine, leone, anguilla, &c. ut per Primam speciem regula C. significatum est.*

2 Genus habet in se generales partes ex quibus est C2.  
constitutum, sicut corpus, quod est genus: ut corpus invisibile, & inimaginabile, quod habet in se formam, & materiam corporales, & generales invisibiles, & inimaginabiles, ex quibus constat, ut per secundam speciem Regula C. significatur.

3 Genus item diffusum est in suis speciebus, sicut totum C3.  
in suis partibus, ut in Tertia specie Regula C. patet.

4 Genus habet se ipsum in suis partibus coessentialibus, C4.  
sicut totum quod habet totum suum esse in partibus sibi coessentialibus, ut probat quarta species Regula C.

1 Genus De quo est? Respondendum est, de se ipso, D1.  
cum sit ens primitivum, ut ostendit Prima species Regula D.

- D<sub>2</sub>. 2 Genus etiam est de suis primis Principijs constitutum: ut de generali substantiali, & naturali bonitate, magnitudine, duratione, &c. quæ invisibilia, & inimaginabilia sunt, ut denotat *secunda species Regula D.*
- D<sub>3</sub>. 3 Genus etiam est subditum fini, sive intentioni quare est; species enim est finis, & causa generis, ut probat *Tertia species Regula D.*
- E<sub>1</sub>. 1 Genus Quare est? Genus *formaliter* est, quia est constitutum ex suis partibus coessentialibus, ut patet *in Prima specie Regula E.*
- E<sub>2</sub>. 2 Est etiam genus *ratione finis*, ut prædicari possit de suis speciebus; ut *in Secunda specie Regula E.*
- F<sub>1</sub>. 1 Genus Quantum est? Genus tantum est; quantæ sunt sue species, in quibus est diffusum per discretas quantitates, & *per continuam*, ut *in Prima specie Regula F.*
- F<sub>2</sub>. 2 Per discretas verò; ut *in secunda.* Quantitates autem discretæ tot sunt, quot in Arbore apparent significatæ.
- G<sub>1</sub>. Genus quale est? Genus aliud est *Proprium*, & aliud *Appropriatum*. Proprium, ut substantia, Corpus, Animal; Appropriatum verò, ut genus subalternatum, sicut substantia, sub Ente, Corpus sub substantia, Animal sub corpore, ut supra in Arbore visum est. Item genus quale est? Et responderi potest: quod est tale, quale per Regulam G. significatum est. Est etiam tale, qualis est sua bonitas, magnitudo est, & qualis est sua insensibilitas, & sua inimaginabilitas.
- H. Genus Quando est? Respondendum est per Regulam H. suo modo, sicut Genus quod fuit in principio Mundi, & est superius in ordine Arboris: ut Ens, quod genus est, quando substantia species est: & Substantia, quæ est genus, quando Corpus est species: & Corpus genus est, quando Animal est species: & sic de Animali, quod est genus, quando homo est species.

Genus Ubi est? Respondendum est, per Regulam I. I. Quod est in se ipso, & in suis primis Principijs, & speciebus, pro ut in Arbore visum est.

Genus Quomodo est? Respondendum est per illum K1. modum, qui significatus est in Regula K1. suo modo.

Genus, Cum quo est? Respondendum est: quod genus est cum suis partibus coessentialibus, ut in Regula K2. K2. significatum est. Dictum est de Genere, & data est doctrina, qualiter discurratur per decem Quæstiones Generales, & per earum species. Unde Logicus habituari potest, ad respondendum quæstionibus factis de Genere; & ad formandum maximas generales syllogizando.

## CAP. II.

## DE SPECIE.

**Q**uæritur Vtrum Species sit ens reale? Et respondendum est, quod sic. Et probatur quinque rationibus. B. Prima ratio: Omne animal est substantia; hominis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Ex quo sequitur, quod si animal non esset species realis, ultra animam, syllogismus prædictus non esset verus naturaliter; quia substantia, & homo non possent naturaliter participare, quod est impossibile: unde sequitur, quod species sit ens reale.

Secunda ratio. Nullum animal est lapis; omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis. Unde sequitur, quod species est ens reale; aliter duæ prædictæ negativæ Generales, non haberent subjectum, per quod possent veræ existere, quod est impossibile.

Tertia ratio. Omne animal est substantia; quidam homo est animal; ergo quidam homo est substantia. Unde sequitur

sequitur, quod species est ens reale; nam aliter Universalis affirmativa non posset naturaliter participare cum duabus Particularibus, affirmativis, nec per consequens Particulare cum Universalis, quod est impossibile.

Quarta ratio. Nullum animal est lapis; quidam homo est animal: ergo quidam homo non est Lapis. Unde sequitur quod species est ens reale; nam si cecus esset, conclusio non posset esse naturaliter ex suis præmissis, quod est impossibile.

Quinta ratio. Quòd species sit ens reale significatum est per Regulam B. quæ destructa esset, & falsa, & suum contrarium esset verum, & intellectus coactus esset necessitate intelligere speciem non esse ens reale.

- C<sub>1</sub>. Species quid est? *Species est ens quod prædicatur de pluribus individuis numero differentibus: ut de sorte, de Platone &c. qui sub humana specie continentur; & iste Leo, & ille, qui sub specie Leonina sunt: ut patet per Primam speciem Regula C.*
- C<sub>2</sub>. Species item habet in se partes naturales, & sibi coessentialiales, ex quibus constituitur, quas dicimus esse ea, de quibus ipsa species extat prædicabilis; ut homo de hoc homine, & de illo: Leo de hoc Leone, & de illo; rosa similiter de hac, & de illa: *ut etiam patet in secunda specie Regula C.*
- C<sub>3</sub>. Species etiam in illo genere est, sub quo est recipiens suum esse, & est existens, & influens in suis individuis, ut animal in corpore, in hominibus, in leonibus, &c. *ut probat Tertia species Regula C.*
- C<sub>4</sub>. Species item habet se ipsam in suis individuis, ut homo, pro ut species est, in Sorte, & Platone, & leo, pro ut species est, in hoc, & in illo leone, *ut patet in quarta specie Regula C.* Species tamen ingenerabilis, est & incorruptibilis, & tantum per intellectum attingitur; non per  
sen-

sensum, nec per imaginationem.

Species, De quo est? *Species est de se ipsa*, cum sit **D1.**  
 primitiva, & ab alia specie non derivata: sicut caliditas  
 ignis, quæ ab alia *caliditate* non est derivata, ut vult *Pri-*  
*ma species Regula D.*

Species iterum est de suis principijs, ex quibus est **D2.**  
 constituta, videlicet speciali formâ, & materiâ, quæ con-  
 sistunt in medio generis, & individuorum, ut quatuor  
 massæ substantiæ Mundi, videlicet ignis, aeris, aquæ, &  
 terræ, in medio elementorum simplicium invisibilium, &  
 individuorum specierum corruptibilium, & visibilium, ut  
 in *Secunda specie Regula D.* Declaratum est.

Species item est subdita illi generi sub quo est; ut ho- **D3.**  
 mo animali, & animal corpori: ut in *Tertia specie Regula D.*

Species *Quare est?* Species *formaliter* est, quia est ex **E1.**  
 suis proprijs Principijs, ex quibus est constituta; sicut ex  
 speciali forma, & materia, quæ se conjungendo, multi-  
 plicant speciem *Naturaliter*. Sed Logicè, species inten-  
 tionaliter est, imaginando, & intelligendo in absentia  
 sensus: ut homo, qui imaginatur, & intelligit suum equum,  
 multiplicando ejus speciem; ut probat *Prima species Re-*  
*gula E.*

Species, iterum, est *ratione finis*; ut homo qui est, ut **E2.**  
 sint Socrates, Plato, &c. ut etiam sit in syllogismo, in  
 quo sunt promissæ, ut sequatur conclusio.

Species *Quanta est?* Species est tanta, quanta est sua **F1.**  
 quantitas *continua*.

Et sunt tot species discretivè, quot genera de ipsis **F2.**  
 prædicari possunt, ut homo est animal, leo est animal, &c.  
 & animal est corpus; corpus est substantia; substantia est  
 ens; & ens est quoddam consideratum, innominatum, &  
 confusum, ut patet in *Regula F.*

Species *Qualis est?* Species est duplex, *Propria*, & *Ap-* **G1.**  
*pro-*

*propriata*, Propria secundum naturam: ut species humana, leonina, & hujusmodi.

G<sub>2</sub>. Appropriata verò secundum intentionem, ut species quas Logicus intentionaliter multiplicat imaginando, & intelligendo ad placitum, & significatur in *Regula G*. Species tamen Propria causativa est, & necessaria Appropriata verò contingens, & occasionaria.

H. Species *Quando est?* Species est, quando genus est, & quando sunt sua individua; sine specie enim, Genera, & individua esse non possunt, sicut Principium, & Finis, quæ sine medio non possunt habere existentiam, & agentiam. Species enim aliter consistit in genere, aliter in individuis, nam in genere sustentatur ratione *Principij*; in individuis verò *ratione finis*. Ex quo sequitur, quod etsi omnia animalia in uno instanti morerentur, aduch species remaneret, & superesset habituata, & naturaliter situata in suo genere, ut probatur *per Regulam H*.

I. Species *Vbi est?* Species est in Arbore (ut dictum est) & est in medio generis, & individuorum *Naturaliter*. *Logicè* autem est in memoria, & in voluntatè, & in intellectu, quando intelligitur, non autem quando creditur; tunc enim in medio consistit, actus memoriæ, & voluntatis. Est etiam in imaginatione, quando imaginatur aliquod individuum corporale; ut *per Regulam I*. significatum est.

K<sub>1</sub>. Species *Quomodo est?* Species *Naturaliter* est per illum modum, per quem una partium coessentialium alteri inexistit, sicut specialis, & substantialis bonitas, magnitudo, & reliqua Principia Artis Generalis sunt existentia in medio generum, & individuorum, & multiplicant speciem bonam per bonitatem, magnam per magnitudinem, &c. Per modum autem Logicum, species est, quia intellectus, ut agens in suo proprio intelligibili habet, modum

im-



## SECUNDA DISTINCTIO DE SPECIE. 25

primendi, & caracterizandi species peregrinas, quas facit intelligibiles, cum auxilio sensus, & imaginationis, ut species hominis, leonis, rosæ, &c., quas ipse intellectus facit intelligibiles, imprimendo in ipsis suam similitudinem: ut notatum est in *Regula K1*.

Species *Cum quo est*? Species est cum suo genere, sub quo est, & cum suis individuis, sicut homo cum animali, & cum Socrate, Platone, &c. & leo cum animali, & hoc leone, & illo, &c. & hoc *naturaliter*. Item Species est cum *Differentia*, *Proprietate*, & etiam cum *Genere*; *Differentia* enim distinctionem facit inter genus, & genus, cum qua distinctione, species multiplicantur; *Proprietas*, verò illam speciem facit propriam: hoc est, *Differentia* facit hominem, leonem, rosam, & hujusmodi esse species inter se differentes; *Proprietas* autem proprias, per proprium numerum.

Est etiam species cum sensitiva, imaginativa, & intellectiva, attrahendo intentiones, & similitudines rerum realium in sua imaginatione, & intellectu, imaginando, & intelligendo, ut per *Regulam K*. significatum est.

Diximus de specie; & per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest Logicus, sive Naturalis habere cognitionem de specie, considerando ipsam, secundum decem Quæstiones Generales supra dictas, extra quas, nulla quæstio est possibilis.

### CAP. III.

#### DE DIFFERENTIA.

**Q**Uæritur. Utrum inter genus, & speciem sit realis differentia? Et respondetur quod sic, per *secundam Figuram* syllogismi, isto modo. *Nullum animal est Lapis; omnis Margaritta est Lapis: ergo nulla Margaritta est animal.* Unde sequitur quod differentia est Principium Generale, & reale, B.  
D per quam

per quam animal, & lapis realitèr differunt; ut significatur per Regulam B.

- C<sub>1</sub>. Differentia *Quid est?* Differentia est id, ratione cujus bonitas, magnitudo, &c. sunt rationes inconfuse. Nam differentia causat quod bonitas sit una ratio, & magnitudo alia, &c: & sic de actibus earum, ut bonificare, quod est actus bonitatis; & non magnitudinis: & magnificare magnitudinis; & non bonitatis. Unde Differentia dicitur lumen intellectus, quo objecta cognoscit: sicut lux visus, quâ attingit entia visibilia. Et hoc patet in *Regula C.*
- C<sub>2</sub>. Differentia etiam *habet in se* sibi coessentialia, & naturale *differentiativum*, cum quo efficit, ut entia inter se differant: & coessentialia, & naturale *differentiabile*, in quo facit entia *differentiabilia*: habet etiam proprium, & necessarium *differentiare*, cum quo efficit entia existere inter se distincta, ut probat secunda species *Regula C.*
- C<sub>3</sub>. Differentia est, in alio, ut in subjecto, principium ostentivum, & apertivum: ut in bonitate in qua intrat, & in qua se ponit inter *bonificativum*, *bonificabile*, & *bonificare* distinguendo, ita quod ponit in istis totam essentiam ipsius bonitatis: sicut Differentia ipsa, quæ tota, suis primis Principiis inexistit, ut patet per *Tertiam Speciem Regula C.*
- C<sub>4</sub>. Differentia item *habet in subjecto*, in quo subsistit, suum esse, & suas operationes: ut in substantia leonis, & reliquorum, cujus leonis Differentia est una pars, per quam Leo habet plures partes inter se differentes, ex quibus est constitutus, ut patet in *Quarta specie Regula C.*
- D<sub>1</sub>. Differentia *de quo est?* Differentia est de se ipsa, alioquin, nisi esset de se ipsa, & esset de alio Principio, quod non foret de suo genere, non posset existere Principium Generale, per quod entia essent ad invicem distincta, quod est impossibile.

Differentia

Differentia item est *de suis primis Principijs* supra dictis, de quibus extat constituta. D<sub>2</sub>.

Et est instrumentum subjecti, in quo est, ut manus hominis; subjectum enim sic agit cum Differentia, quæ extat sua pars, distinguendo: sicut homo cum sua manu agit scribendo, ut per Regulam D. significatum est. D<sub>3</sub>.

Differentia *quare est*? Differentia est, *quia constituta est de suis primis Principijs*; ut in prima specie Regula E. E<sub>1</sub>.

Differentia item est *ratione finis*, ut in Universo creato plures essentia, & operationes existant, quod sine Differentia non posset fieri: ut in secunda specie Regula E. E<sub>2</sub>.

Differentia *Quanta est*? Differentia est duplex, una per *continuam* quantitatem, eò quia est unum Generale Principium; plures verò per *discretas* quantitates, ut Differentia hominis, leonis; &c. quæ differunt per quantitates discretas. Differentia item multiplex est, nam alia est visibilis, ut quæ apparet videntibus partes Arboris, alia imaginabilis in absentia Arboris; alia nec visibilis, nec imaginabilis, sed tantum intelligibilis, & ista est causa, & subjectum, qua entia inter se differunt, & hoc patet in Regula F. F<sub>1</sub>. F<sub>2</sub>.

Differentia *Qualis est*? Differentia est qualis duobus modis *Propriè*, & *Appropriatè*. *Propriè*, ut illa per quam substantiales partes propriè, & substantialiter differunt, ex quibus substantia substantialiter constituitur, ut substantia leonis, quæ est constituta ex elementativa, vegetativa, sensitiva, & imaginativa substantialibus; *Appropriatè* verò, sicut accidentia, quæ differunt inter se: & sic de substantia, & accidentibus, quæ etiam differunt per *appropriatam* Differentiam, quæ est accidens, eò quia est similitudo propriæ Differentiæ, ut significatum est per Regulam G. G<sub>1</sub>. G<sub>2</sub>.

Differentia *Quando est*? Differentia est *in tempore continue* H.

tinuè, & *successivè*. Continuè, per modum existendi, in quantum est Generale Principium, quod est cum suo numero convertibile. *Successivè* verò, per modum agendi, de uno nunc, in aliud distinguendo in subjecto, in quo agentie *successivè* existunt, ut significatum est per Regulam H.

- I. Differentia *ubi est*? Differentia est in Arbore hujus scientiæ, & per consequens in omni quod est, vel quod habet esse: & hoc dupliciter, uno modo secundum *Physicum*, alio modo: secundum *Logicum*. Secundum *Physicum*, in quantum consideratur Differentia existendo, & agendo *Naturaliter*. Secundum *Logicum*, in quantum consideratur *intentionaliter*, & similitudinariè; ut patet in *Regula I.*
- K<sub>1</sub>. Differentia *Quomoda est*? Differentia est per modum *primitivum*, & per modum *derivativum*. *Primitivè*, quoniam sicut bonitas naturalis est primitiva, in quantum est essentia sustentata in suo proprio concreto, scilicet bono: ita Differentia est essentia subsistens in suo proprio concreto, scilicet diverso. *Derivativè* verò, ut Differentia; quæ communicata est alijs Principijs, ut per ipsam plures essentiæ consistant, & plures habeant operationes ( Differentia suam similitudinem ipsis communicante, ) ut de ipsa induantur, & habituentur, ut significatur per Regulam K.
- K<sub>2</sub>. Differentia *Cum quo est*? Differentia est cum suis primis Principijs, ut in Regulis D. & C. significatum est, & est, cum suo subjecto, sine quo esse non potest, & habet suum actum cum alijs Principijs totius Universi; ut patet per Regulam K.

Diximus de Differentia, & per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest Naturalis, & Logicus investigare Differentiam, sive per suam *agentiam*, sive per *existentiam* in Arbore superius posita.

DE PROPRIETATE.

**Q**Uæritur. Utrum omnis Proprietas sit accidens **B.**  
in rebus creatis? Et probatur quòd non,  
quod sic ostenditur. *Omne animal est substantia; omnis ho-*  
*mo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Et hoc pro-  
priè, est substantialiter: cum animal propriè, & substan-  
tialiter sit medium inter hominem, & substantiam, quod  
fieri non posset, si omnis proprietas esset accidens.

2 Præterea: *Quidquid habet esse, habet esse per suam*  
*propriam essentiam; sed homo habet esse: ergo habet esse per*  
*suam propriam essentiam; videlicet humanitatem, Unde*  
*sequitur quòd homo habet esse per suam substantialem*  
*propriatatem, & non per accidentalem: sicut ignis, qui*  
*non habet esse per suam propriam caliditatem, sed per*  
*propriatatem substantialem, quæ est igneitas: ut signifi-*  
*catur per Regulam B.*

Proprietas Quid est? Proprietas est *forma, per quam quod-* **C1.**  
*libet ens in suo proprio numero consistit: ut ista conclusio:*  
*omnis homo est substantia; quæ per suas præmissas, videli-*  
*cet omne animal est substantia; sed omnis homo est animal,*  
*in suo proprio numero consistit.*

Proprietas *habet in se coessentialia, & naturale Propria-* **C2.**  
*tivum, Propriabile, & Propriare, ut per propriativum ha-*  
*beat in suo propriabili intrinseco actum proprium, ut acci-*  
*dentaliter producat proprietates peregrinas, & adventicias:*  
*sicut intellectus, qui in sua propria intelligibilitate, efficit*  
*rosam, & lapidem existere intelligibiles, per accidens.*

Proprietas etiam *appropriat numerum subjecto; sicut pro-* **C3.**  
*pria caliditas, quæ per accidens appropriat igni suum nu-*  
*merum.*

Proprietas item *habet suum actum in subjecto, in quo* **C4.**  
est:

est : ut risibilitas , quæ habet in homine suum actum, videlicet ridere, & caliditas in igne calefacere , &c. ut patet in *Regula. C.*

- D<sub>1</sub>.** Proprietas *De quo est?* Proprietas est de se ipsa, ut per primam speciem *Regulae D.* significatum est.
- D<sub>2</sub>.** Proprietas etiam est de suis proprijs intrinsecis concretis, videlicet *Propriativo, Propriabili, & Propriare*, ut probat *secunda species Regulae D.*
- D<sub>3</sub>.** Proprietas item est possessivè illius subjecti, in quo est, quod subjectum, cum sua proprietate appropriat proprietates, ut patet in *Tertia specie Regulae D.*
- E<sub>1</sub>.** Proprietas *Quare est?* Proprietas, in quantum est essentia, est *formaliter* per se ipsam, ut habeat suum proprium concretum, videlicet *Proprium esse*, per suam propriam essentiam, ut in *Prima specie Regulae E.*
- E<sub>2</sub>.** Proprietas etiam *finalitèr* est, ut quodlibet ens possit habere suum proprium numerum, quem habere non posset sine proprietate, ut in *secunda specie Regulae E.* significatum est.
- F<sub>1</sub>.** Proprietas *Quanta est?* Proprietas est quanta secundum quantitatem *continuam* in subjecto, ut Generalis Proprietas, quæ per Generalem, & *continuam* quantitatem quantificata est, ut ostendit *Prima species Regulae F.*
- F<sub>2</sub>.** Proprietas etiam est quanta respectu *discretarum quantitatum*, ut apparet in Corvo, cujus propria est nigredo : & in nive albedo, & hujusmodi reliquis, pro ut significatur *per Regulam. F.*
- G<sub>1</sub>.** Proprietas *Qualis est?* Proprietas est qualis *Propriè, & Appropriatè.* Propriè, ut caliditas quæ est propria qualitas ignis; appropriatè verò, ut eadem caliditas, quæ est àèri *appropriata*. Quæ quidem duæ species accidentales sunt, & consistentes in prædictis proprietatibus substantialibus.

Proprietas autem propria causativa est, & causa proprietatis appropriatæ, & est necessaria tendens ad unum sive possibile, sive impossibile; ad impossibile, ut cum dicitur: aquam non esse naturaliter frigidam; ad possibile, ut cum dicitur: esse possibile, aquam per ignem calefieri.

*Proprietas verò Appropriata* est occasionalis, & non necessaria, sicut caliditas àëris, quæ occasio extat caliditatis aquæ ( àëre infundente suam humiditatem calefactam in aqua ) quæ proprietas tendit ad duo, videlicet ad possibile quòd sit; & possibile quòd non sit: aquam enim existere, & non existere calidam possibile est, ex qua re, sequitur contingentia. *Et hoc probat Regula G.*

Proprietas *Quando est?* Proprietas, ratione suæ *existentiæ*, consistit in eo tempore, in quo est suum subjectum, ut substantia Mundi, in qua Proprietas Generalis, & Generale Tempus æqualiter consistit: unde talis proprietas est *continua*, & per existentiam sine motu. Proprietas verò, quæ extat per *agentiam* ratione appropriationis extat in tempore *successivè* de uno nunc, in aliud, ut per *Regulam H.* significatum est.

Proprietas *Vbi est?* Proprietas est in omnibus locis substantiæ Mundi: cum nullum ens possit habere suum numerum simplicem absque proprietate. Verùm quia Differentia diffundit se ipsam, in universa entia, & proprietas, se ipsam diffundendo, deducit in omne ens, numerum ab alio diversum, est una proprietas specifica in uno subjecto, & alia, in alio, ut risibilitas in homine, latrabilitas in cane, &c. ut *in Regula I.* demonstratum est.

Proprietas *Quomodo est?* Proprietas est *per modum partis numeraliter*, & per illum modum, per quem, una pars cum alia ad invicem commiscetur: sicut caliditas, humiditas, frigiditas, siccitas, & reliquæ qualitates modum habentes se invicem commiscendi per illum modum, quem

quem habent elementa in componendo ex se ipsis elementatum, ut patet in Regula K.

**K2.** Proprietas *Cum quo est?* Proprietas est cum se ipsa, in quantum est *causativa*; sed proprietas *occasionaria* est cum causativa. Est item Proprietas cum omnibus alijs formis, sine quibus non posset esse in subjecto, in quo est, ut patet in Regula K. Dictum est de Proprietate; & per ea, quæ de ipsa dicta sunt, potest Logicus, sive Naturalis invenire essentiam, & agentiam ipsius, discurrendo ipsam per decem Regulas, pro ut ostensum est supra.

## CAP. V.

## DE ACCIDENTE.

**B.** **Q**uæritur Utrum *omnia Accidentia ab uno Reali, & Generali Accidente procedant?* Et dicitur quod non. Quod per istud exemplum sic ostenditur. *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo nullus homo est substantia.* Unde quemadmodum hæc ultima propositio non participat cum duabus præmissis in aliqua veritate: sic veritas, & falsitas, malum, & bonum, caliditas, & frigiditas: & ita de alijs accidentibus immediatè contrarijs, non possunt ullo modo procedere ab uno Generali accidente reali, & simplici per suum numerum. Quod si fieri posset: *omnis homo est substantia; & nullus homo est substantia,* ad invicem procedere possent ab ipsis præmissis supra positis, quod impossibile est, & contradictio, & talis impossibilitas ostensa est in Regula B.

**C1.** *Accidens Quid est?* *Accidens est ens, quod per se existere non potest,* ut in prima Distinctione dictum est, & significatum in prima specie Regula C.

**C2.** *Accidens.* Item, in quantum est genus, habet in se species sibi coessentialia, ut color, qui in suo genere habet albedinem,



nem nigredinem, &c. & qualitas, bonum, malum, &c. & ita de reliquis, ut in secunda specie *Regula C.*

Accidens iterum est activum, & passivum in subjecto *C3.*  
in quo est: ut activa, & passiva qualitas, quod patet in  
Tertia specie *Regula C.*

Præterea Accidens habet suam existentiam, & agen- *C4.*  
tiam in subjecto in quo est: ut caliditas ignis, quæ suam  
existentiam, & suum actum habet in igne, videlicet ca-  
lescere, ut per *Quartam speciem Regula C.* patet.

Accidens *de quo est?* Accidens est de se ipso; quo- *D1.*  
niam aliter, esset de essentia substantiæ, quod est impos-  
sibile, cum quidquid est, sit substantia, vel Accidens, &  
hoc significatum est per Regulam B. & per Primam spe-  
ciem *Regula D.*

Accidens item est de influenza substantiæ, ut simili- *D2.*  
tudo de similitate, & caliditas de igne, & calescere, quod  
similitudo est actus ignis, & actio similitudo formæ sub-  
stantiæ, & passio materiæ, quod probat *secunda species*  
*Regula D.*

Accidens possessivè est substantiæ, seu subjecti in *D3.*  
quo est, ut substantia agere possit cum accidente, exer-  
cendo suos actus: ut ignis, qui cum sua caliditate agit  
calesciendo calefactibile, ut sit activus: & hoc patet in  
Tertia specie *Regula D.*

Accidens *Quare est?* Accidens est, quia suum subjectum *E1.*  
est, sine quo Accidens esse non potest: sicut effectus, qui  
est per suam causam, & hoc per modum existentiæ, &  
*formaliter*, ut in *Prima specie Regula E.*

Accidens præterea est ratione *finis* substantiæ: & hoc *E2.*  
*primitivè*; *secundarie* verò est ratione sui ipsius, sicut ca-  
liditas, quæ est, ut ignis possit habere actionem, & est,  
ut ipsa caliditas habeat actum calescendi: ut in *secunda*  
*specie Regula E.* significatum est.

E

Accidens

- F1. Accidens *Quantum est*? Respondendum est quod quantitas est accidens habens duas species, videlicet *continuam*, & *discretam*: unde fit quod omne accidens quantum, est per quantitatem quantificatum, & per habitum, habituum, & habet quantitatem *continuam*, & *discretam*, ut actio ignis, quæ per continuam quantitatem habituata est respectu sui generis.
- F2. Caliditas tamen ipsa habet plures quantitates discretas, eò quia est subiecta pluribus subiectis specie differentibus: ut caliditas piperis, quæ existit quanta, per *quartum gradum*, & caliditas cinnamomi, per *tertium*, feniculi, per *secundum*, & anisi, per *primum*, & sic de alijs, ut patet in *Regula F*.
- G1. Accidens *Quale est*? Accidens divisum est in qualitatem *Propriam*, & *Appropriatam*: Unde Accidens est quale respectu *propria* qualitatis, & *appropriata*: sicut caliditas ignis, quæ est propria qualitas ipsius, & caliditas àëris, quæ est ipsi appropriata, per ignem, & sic de habitibus Artium liberalium, & mechanicarum.
- G2. Qualitates iterum Accidentis multæ sunt, & penè innumerabiles: ut Accidens quod est *separabile*, & Accidens, quod est *inseparabile*, &c. ut in *prima Distinctione dictum est*. Quod quidem Accidens est considerabile per Regulam G. in quantum est de Genere qualitatis.
- H1. Accidens *Quando est*? Accidens est in tempore continuè per modum existentie, ut motus in octava Sphæra, qui in se *continuus est*, & extra momenta. Sed respectivè in quantum Saturnus *contiguus est* octavæ sphære, talis motus consistit in tempore de uno nunc in aliud successivè, & per hunc modum, accidens existit in tempore, videlicet in fluxionibus momentorum, horarum, dierum, &c. ut significatur in *Regula H*.
- I1. Accidens *Vbi est*? Accidens est ubicunque suum subiectum

jectum est, sine quo esse non potest, videlicet substantia, in qua sustentatum est. Unde ratione existentiae, Accidens est in essentia substantiae, in quantum substantia est per Accidens, *quanta, qualis, relata, activa, passiva, habituata, situata, locata, & temporificata*; & ratione *agentiae* in actibus substantiae, ut in cursu hominis percurrere, in caliditate aquae, per calefacere: & ita de reliquis, ut ostensum est per Regulam I.

Accidens *Quomodo est?* Accidens habet modum existendi, & agendi, sicut, & subjectum in quo est: ut situs, qui ita habet modum situandi suum subjectum: sicut subjectum habet modum suscipiendi talem habitum, & locus locandi, quae omnia fiunt per modum dispositionis materiae, qua mediante Accidens, & substantia, ad invicem conveniunt. Et hoc in *Regula K1.* significatum est.

Accidens *Cum quo est?* Accidens est cum pluribus rebus, quia est cum suo subjecto, sine quo esse non potest, & *est cum sine ipsius subjecti*, in quantum est propter ipsum. Est item unum Accidens cum alio: sicut qualitas cum quantitate, passio cum actione, situs cum habitu, motus cum loco, & sic de reliquis, ut etiam patet in *Regula K2.*

Dictum est de Accidente, & data est doctrina per quam sciet Logicus investigare secreta Accidentium, & essentias, & actus eorum, servando modum, quem nos ostendimus per decem Regulas Generales.

## DISTINCTIO III.

*De Decem Prædicamentis.*

## CAP. I.

## DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Hæc

**H**Æc Distinctio in decem partes divisa est, videlicet in decem Prædicamenta, quæ sunt hæc. *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Habitus, Situs, Tempus, & Locus.*

**B1.** Quæritur igitur primò: *Vtrum substantia creata (estò quòd possit à suis accidentibus denudari) habeat esse extra Animam?* Respondendum est quod sic: quoniam sicut iste syllogismus *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia:* remaneret potentialitèr, & habitualitèr in suis præmissis, denudatus ab ultima Propositione: sic substantia à suis accidentibus separata, remaneret in suis primis Principijs substantialibus, videlicet *formâ, & materiâ:* & ipsa accidentia remota, & sejuncta à substantia, remanerent etiam *in potentia*, in ipsa Substantia, & hoc significatum est in *Regula B.*

**C1.** *Substantia Quid est? Substantia est ens, quod per se existit.* Illud inquam ens consideratum, innominatum, insensibile, inimaginabile, & citra genus accidentium cognitum, & intellectum. Quoniam, sicut iste syllogismus: *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo, &c.* Logicè, habituatus est, & cognitus, licet ultima Propositio non sit ore prolata, sed tantummodo considerata: sic *essentia, & esse Substantiæ*, est illud ens consideratum, de genere accidentis non prædicabile, quod insensibile est, & inimaginabile. Nam sicut visus non attingit Substantiam, sed colorem, & figuram Substantiæ, & gustus amaritudinem, dulcedinem, &c: ita nec imaginatio apprehendit Substantiam, sed figuram ipsius, quòd per *Primam speciem Regule C.* significatur.

**C2.** *Substantia habet in se naturaliter, & primariè formam, materiam, & conjunctionem, quæ sunt sibi còessentialia.* Per formam est *substantiva*, per materiã *substantiabilis*, & per conjunctionẽ habet *substantiare* substantiale, cum quo agens naturale

turale generat, & substantiat generaliter, & substantialiter genitum substantiatum, & naturatum: ut patet per *secundam speciem Regula C.*

Substantia item, *in accidente est quantificata, qualificata, relata, actionata, passionata, habituata, assituata, temporificata, & locata*: unde dicta est substantia; substat enim suis accidentibus: ut in *Tertia specie Regula C.* significatum est. C3.

Substantia præterea habet dominium in suis accidentibus, eò quòd causat ipsa accidentia, & actus eorum, ut probat *Quarta species Regula C.* C4.

Substantia *de quo est?* Substantia est de se ipsa, ut non sit de accidente, cum quidquid est, sit Substantia, vel Accidens, ut in *Prima specie Regula D.* significatur. D1.

Substantia iterum *est, de sibi substantiali coëssentiali, & naturali substantiativo, substantiabili, & substantiare*: ut patet in *secunda specie Regula C, & Regula D.* Unde substantia sic poterit definiri: *Substantia est ens propter quod est substantiare*: per quod sua forma cognoscitur: & ipsum substantiare per suum *substantiabile*, sive *substantiatum*: & per hæc tria, essentia Substantiæ. D2.

Substantia adhuc nulli rei est subdita, licet suis accidentibus substat: Cujus ratio est, quia Substantia agit cum accidentibus: sicut agens cum instrumento, ut in *Tertia specie Regula D.* significatum est. D3.

Substantia *Quare est?* Substantia est *formaliter per se* ipsam, cum sit ex sua propria forma, & propria materia: ut in *Prima specie Regula E.* E1.

Substantia etiam *finaliter* est propter individua naturalia: eò quòd individua esse non possent sine substantia, ut Socrates, Plato, Leo, Rosa, Lapis, & reliqua; hoc autem intelligitur de individuis, ex quibus constitutus est numerus, ut unus homo, unus Leo, duo homines, duo Leones, E2.

Leones, &c. quod probat *Secunda specie Regulae E.*

**F1.** Substantia *Quanta est?* Substantia est tanta, quanta sunt sua concreta substantialia supra dicta, sine quibus non haberet in quo subsisteret, nec ipsa concreta, sine substantia, quod ostenditur, per secundam speciem *Regulae D.* Scilicet quod *substantiativum, substantiabile, & substantiare*, & ipsa substantia sunt idem per essentiam, existentibus quantis, ipsa substantia, per continuam quantitatem: & tribus concretis per quantitates discretas numerales, atque naturales: *ut per Regulam F.* significatum est.

**F2.** Substantia praeterea duplex est ( ut significatur in *Arbore* ) scilicet *Corporea, & incorporea.* Incorporea, sicut Angelus, cujus substantia, sic attingibilis extat per animam, sine accidentibus pertinentibus ad substantiam corpoream: sicut substantia corporea a suis accidentibus separata, & sejuncta, ut supra dictum est. Substantia iterum est duplex: *prima* scilicet, & *secunda.* Prima, ut substantia individuorum, quae dicitur *prima, ratione finis; secunda* vero, sicut Genus, & Species, quae dicuntur *substantia secunda*; nam sicut anima, & corpus sunt, ut sit homo; & duae *Premissa* ut sis *Conclusio*: ita genus, & species, ut sit Socrates, Leo, rosa, & reliqua individua.

**G1.** Substantia *Qualis est?* Substantia est qualis, & per suas qualitates ostenditur qualificata; nam per propriam qualitatem, sua accidentia ipsi inexistunt inseparabilia: ut igni, sua caliditas.

**G2.** Per appropriatam vero, ut caliditas aquae. Substantia adhuc per dispositionem extat disposita, ut sit habituata. actionata, passionata, &c. ut per *Regulam G.* significatur.

**H.** Substantia *Quando est?* Substantia est quandoque in *potentia*, quandoque in *actu*, ut Arbor, quae est in potentia seminis, & in actu, quando producit aliam arborem. Et quando est in *potentia* extat in tempore continuo; quando

quando verò in actu est in tempore successivo de uno instanti in aliud progrediens, ratione motus coelestis: *ut per Regulam H.* significatum est.

Substantia *ubi est?* Substantia est in se ipsa respectu sui I. numeri: sicut homo Socrates, qui in se ipso est homo, eò quod Substantia est in suis proprijs concretis, & sua concreta sunt in ipsa Substantia. Iterum est in suis proprijs accidentibus, veluti in sua quantitate, per quam est quanta; in suo colore, per quem est colorata: & sic de reliquis. Substantia adhuc est sicut locatum in locante, ut vinum in amphora, homo, in àere, piscis in aqua; & sic de consimilibus.

Substantia autem *incorporea* extat in loco, ab habitu, & situ corporeis denudata: unde, nec locum occupat, nec motum, licet ita sit in uno loco, quod non sit in alio. Hinc est, quod Substantia in corporea, nec imaginabilis, nec sensibilis sit; etenim (ut diximus) ab habitu, & situ corporeis denudata est, ut per *Regulam I.* significatum est.

Substantia *Quomodo est?* Substantia *habet modum essendi* K1. existendi, & agendi, ut per *Regulam C.* & *Regulam D.* significatum est; & hoc patet in *Regula K.* Habet etiam *modum agendi*, ut suis proprijs accidentibus disposita est, quòd patet etiam, *per Regulam K.*

Substantia *Cum quo est?* Substantia est substantialiter K2. cum suis proprijs principijs substantialibus, videlicet substantiali forma, & substantiali materia. Et sua forma est cum suis proprijs *tivis*, sibi còessentialibus, & naturalibus, ex quibus est constituta videlicet *bonificativo, magnificativo, &c.* & sua materia est cum suis proprijs, & naturalibus bilibus, videlicet: *bonificabili magnificali; &c.* de quibus est constituta, ut *Regula K.* manifestat, & docet. Dictum est de substantia, & per ea, quæ de ipsa, per decem Regulas discursa, & dicta sunt, sciet Naturalis

ralis, & Logicus formare veras & necessarias conclusio-  
nes de substantia.

## CAP. II.

## DE QUANTITATE.

- B. **V**trum Quantitas possit definiri? Et dicimus, quod  
sic, nam si definiri non posset, non esset verè di-  
visibilis in quantitatem continuam, & discretam ( cum  
nulla definitio, nec divisio, quidem fieri possit, sinè uni-  
versali *reali* vel *intentionali*, ut significatur in *Regula B.*
- C<sub>1</sub>. Quantitas *Quid est?* Quantitas est *potentia cum qua sub-  
stantia quantificat entia quantificata.* Et hæc definitio fit, quia  
potentia, per actum, & actus per objectum cognoscuntur.
- C<sub>2</sub>. Quantitas etiam est potentia habens in se essentialiter,  
ac naturaliter, & inseparabiliter *quantificativitatem, quan-  
tificabilitatem, & quantificare:* sicut substantia, quæ substan-  
tialiter habet *substantiativum, substantiabile, & substantiare.*
- C<sub>3</sub>. Quantitas iterum est in subjecto mensura, ipsum ter-  
minans, & limitans.
- C<sub>4</sub>. Quantitas etiam habet suum esse in essentia substan-  
tiæ; nam sine substantia existere non potest, ut patet in  
*Quarta specie Regula C.*
- D<sub>1</sub>. Quantitas *de quo est?* Quantitas est de se ipsa, cum sit  
Genus, ut in *Prima specie Regula D.*
- D<sub>2</sub>. Quantitas item est de similitudinibus, substantiæ acci-  
dentaliter, ut in *secunda specie ejusdem Regula,* quod etiam  
*Regula K.* manifestat.
- D<sub>3</sub>. Quantitas possessivè est substantiæ; sicut instrumentum  
est artificis, ut in *Tertia specie Regula D.*
- E<sub>1</sub>. Quantitas *Quare est?* Quantitas *formaliter* est, quia  
sua causa est, quæ ponit ipsam inesse in subjecto, eam, ab  
alio genere cum differentia distinguendo, & cum proprie-  
tate, proprium sibi numerum limitando, & imponendo.

Quantitas



Quantitas adhuc ideo est, quia suum subjectum per E2. existentiam, & agentiam quantificabile est, & hoc patet in *Regula E.*

Quantitas *Quanta est?* Quantitas est *continua*, & *dis-* F. *creta*, & est tota, quantum suum subjectum dispositum est esse quantum, per suam existentiam, & agentiam; & hoc patet in *Regula F.*

Quantitas *Qualis est?* Quantitas est qualis: sicut suum G1. subjectum natum est esse quantum existendo, & agendo: ut homo, qui per modum existentiae quantitatem habet continuam.

Et quia de pluribus rebus est compositus habet quan- G2. titates discretas: ut significat *Regula G.*

Quantitas *Quando est?* Quantitas est, quando suum H. subjectum est, sine quo esse potest. Et ita est in tempore, & motu cum suo subjecto, sicut cum ipso est existens, & per ipsum in agentiam deducta; quoniam sicut absque subjecto esse non potest, ita, & in tempore nequit esse absque subjecto: ut per Regulam H. & Regulam B. significatum est.

Quantitas *Vbi est?* Quantitas est in subjecto cum quo I. est, duobus modis, videlicet per modum existendi, & per modum agendi. Per modum existendi, quia cum ipsa quantitate est subjectum habituum, & terminatum; per modum verò agendi, quia cum quantitate agit id, quod agit: ut significatur in *Regula I.*

Quantitas *Quomodo est?* Quantitas est per modum in- K1. fluentiae à suo subjecto, & hoc ratione suae dispositionis, per habitum, situm, & per suam naturalem potentiam, & impotentiam: ut intelligi potest in *Regula K1.*

Quantitas *Cum quo est?* Quantitas est cum sua causa, K2. quae ipsam ponit sustentatam in potentia, ( existit enim in potentia ) quae ad actum reducitur, & exit; sicut spica

de femine, calefactum de calefactibili, currere de mobili, & sic de reliquis: ut per Regulam K2. significatum est.

Diximus de quantitate, & per id quod de ipsa dictum est poterit Naturalis, Logicus, & Geometra notitiam habere de quantitate.

## CAP. III.

## DE QVALITATE.

B. **V**trum qualitas dicat proprietatem magis proprie, quam dispositionem? Et dicimus quod sic. Nam proprietas denotat existentiam, & essentiam rerum; dispositio verò possibilitatem, & proportionem ipsarum: ut significatur per Regulam B.

C1. Qualitas *Quid est?* Qualitas est forma, indicans statum entium: ut cum quæritur. Qualis est Socrates? Cui aptè respondetur: bonus, vel malus: sanus, vel æger: &c. ut per Primam speciem Regula C. significatum est.

C2. Qualitas etiam habet in se species sibi còessentialia, videlicet propriam formam, & appropriatam: ut qualitas ignis, quæ consistit per calidum, & siccum; calidum proprium; sed siccum appropriatum.

Quæ quidem Qualitas iterum habet quatuor species, licet minus principales, quàm superiores, eò quod, ad ipsas reduci possunt, quæ sunt *dispositio, habitus, naturalis potentia, & naturalis impotentia.*

*Prima* est, ut in ligno, quod per siccitatem est dispositum ad comburendum, & homo per bonitatem ad benè agendum.

*Secunda*: ut in Logico, qui per habitum Lògicalem dispositus est ad arguendum.

*Tertia* in igne, qui habet potentiam naturalem ad calefaciendum.

*Quarta*

*Quarta* similiter in igne, qui habet naturalem impotentiam ad frigefaciendum: & homo ad volandum, &c. & hoc est significatum per *secundam speciem Regulae C.*

Qualitas etiam in suo subjecto *est forma indicativa: C3.* ( ut superius dictum est ) habens in eodem, non solum species supra dictas; verumetiam potestatem indicandi actum, sive passionem ipsius, ut caliditas in igne, *indicat ipsum calefactivum esse*; in aqua verò eam ipsam calefactibilem: Et bonitas quoque in homine indicat ipsum dispositum ad benefaciendum; parvitas verò è contra, ut patet per *Tertiam speciem Regulae C.*

Qualitas in subjecto in quo est *habet species*, quas supra *C4.* diximus; nam sicut qualitas esse non potest sine subjecto: ita nec sine ipso habere potest suas species, ut patet in *Quarta specie Regulae C.*

Qualitas *de Quo est?* Qualitas est de se ipsa, cum nulum accidens esse possit de alio, ab eo existenti diverso in Genere: ut vult *Prima species Regulae D.* *D1.*

Qualitas est de suis proprijs speciebus, sine quibus esse non potest, ut Qualitas cholerae, quae constat ex caliditate, & siccitate; Qualitas verò sanguinis ex caliditate, & humiditate, & sic de reliquis: ut patet per *Secundam speciem Regulae D.* *D2.*

Qualitas adhuc appropriata subdita est ei, quae propria est: ut in calido, in quo siccitas subdita est caliditati, quae propria est, quod apparet in pipere, in quo *caliditas est in quarto gradu*, siccitas, in *tertio*, humiditas, in *secundo*, frigiditas in *primo*, quae quidem omnia significata sunt in *Tertia specie Regulae D.* *D3.*

Qualitas *Quare est?* Qualitas *formaliter* est, quia suum subjectum est habens existentiam, & agentiam: ut sanitas, quae ideò est, quia suum subjectum sanum est, & corrumpere, quod est, quia corruptio est, & sic de reliquis. *E1.*

*Finaliter*

- F<sub>2</sub>. *Finaliter* verò est Qualitas: ut suum subjectum agere possit: sicut caliditas, quæ est, ut ignis calefacere possit; & hoc patet *in Regula E.*
- F. Qualitas *Quanta*, & Qualis est? Respondendum est, quod duæ sunt Qualitates, altera *propria*, altera *appropriata*.
- G. Qualitas *propria continua est*, sicut caliditas ignis, & ea qualitas instantanea est ratione quantitatis continuæ; Qualitas verò *appropriata profusa est successive* in discretas quantitates: ut caliditas àëris, aquæ, & terræ, piperis, synnamoni, & reliquorum elementatorum: ut in *Regula F.* demonstratum est.
- H. Qualitas *Quando est*? Qualitas naturalis, & propria *semper inest*, ut motus coeli, qui inseparabilis extat à suo subjecto. Qualitas verò *appropriata, successiva est*, & temporanea, ut caliditas aquæ, quæ quandoque ipsi inhæret, quandoque non: & homo, qui quandoque est bonus, quandoque malus: ut *in Regula H.* significatum est.
- I. Qualitas *Vbi est*? Qualitas est *in suo subjecto*: ut caliditas in igne, albedo in albo, sanitas in sano. Est etiam Qualitas *in actu*: sicut calefacere, currere: ut patet *per Regulam I.*
- K<sub>1</sub>. Qualitas *Quomodo est*? Qualitas est secundum modum, quem habet suum subjectum; modus enim subjecti causat modum Qualitatis, ut ignis, qui modum habet igniendi, ratione cujus qualificat suam propriam materiam, cum sua propria Qualitate, ipsam Qualitatem deducendo *in actionem*, in quantum est agens, per suam formam; & *in passionem*, in quantum est patiens per suam materiam: ut *per Regulam K.* significatur.
- K<sub>2</sub>. Qualitas *Cum quo est*? Qualitas est cum suis speciebus, & cum subjecto in quo est, sine quibus esse non potest. *Cum actione subjecti*, est etiam activa: sicut caliditas ignis, quæ est activa, quando ignis aquam calefacit, & *passiva* in passione subjecti, in quo est; sicut frigiditas aquæ, quæ

passiva

passiva est, quando ignis suum subjectum calefacit; & hoc per Regulam K. significatum est.

Per ea, quæ dicta sunt de Qualitate, servato ordine supra posito poterit Naturalis; & Logicus ea investigare, & reperire, quæ de Qualitate dici possunt.

## CAP. IV.

## DE RELATIONE.

**V**trum aliqua Relatio sit substantialis? Et dicimus **B.** quod sic. Ut in Deo, in quo est relatio substantialis inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; & in suo intellectu, & reliquis divinis rationibus, in quo quidem intellectu se habent relativè substantialiter *intellectivus, intelligibile, & intelligere*: Similiter, & in rebus creatis, ut in substantia ignis, in quo se habent relativè substantialiter *forma, & materia, & in intellectu creato intelligens, intelligibile, & intelligere*: Et hoc patet per Regulam B.

Relatio *Quid est?* Relatio est *forma indicans pluralitatem necessariam*: ut ea quæ est inter patrem, & filium: antecedens, & consequens, &c., quòd probat *Prima species Regula C.*

Iterum Relatio habet in se *relativum, referibile, & referre* sibi còessentialia, ut in substantia, in qua consistit Relatio per substantiativum, substantiabile, & substantiare; & in bonitate per bonificativum, bonificabile, & bonificare, &c: ut patet in *Secunda specie Regula C.*

Relatio est indicans in subjecto existentiam, & agentiam ipsius, ut in igne, in quo per formam, & materiam est indicans essentiam, & per ignitionem, & calefactionem actum ipsius essentiæ: ut per *Tertiam speciem Regula C.*, significatum est.

Relatio iterum est ea forma, quæ indicantiam habet in **C.**  
subjecto,

subjecto, ut fumus in igne: & infirmitas, *in corruptivo, corruptibili, & corrumpere, &c.* quod probatum est per *Quartam speciem Regula C.*

**D<sub>1</sub>.** Relatio *de quo est*? Relatio est de se ipsa in quantum est Genus, & principium primitivum: ut in *Prima specie Regula D.*

**D<sub>2</sub>.** Relatio præterea est de suis primis principijs sibi còessentialibus, scilicet de actione, & passione, majoritate, & minoritate, medietate, & æqualitate: & sic de reliquis: ut patet in *Secunda specie Regula D.*

**D<sub>3</sub>.** Relatio item subdita est ei subjecto in quo est, ut similitudo similato; & Relatio (ut accidens est) subdita est Relationi substantiali: ut calefactivum, calefactibile, & calefacere; *ignificativo ignificabili, & ignificare*: ut per *Tertiam speciem Regula D.* significatum est.

**E<sub>1</sub>.** Relatio *Quare est*? Relatio est, *quia sua causa est* influens eam ipsam, sicut dies, qui ideo est, quia Sol est. Causa verò actionis, & passionis accidentalium, est actio, & passio substantiales, quod manifestum est per *Primam speciem Regula E.*

**E<sub>2</sub>.** Relatio præterea est, ut sequatur finis rerum per agentiam existentium: veluti *agentis, & agibilis*, quæ sine *agere* non possent habere quietem: ut in *Secunda specie Regula E.*

**F<sub>1</sub>.** Relatio *Quanta est*? Relatio est quanta duobus modis; scilicet *dualitate, & ternalitate*. Dualitate, ut pater, & filius; actio, & passio: abstractum, & concretum: & sic de consimilibus. Ternalitate verò, sicut *intellectivum, intelligibile, & intelligere*; *possificativum, possificabile, & possificare*: calefactivum, calefactibile, & calefacere; & reliqua.

**F<sub>2</sub>.** Relatio in quantum genus est, est quanta *continué*; in quantum verò differentia, & proprietas intrant ipsam, habet duas quantitates discretas, ut actio quæ habet unam quantitatem,

tatem, & passio aliam, quod *per Regulam F.* significatum est.

Relatio *Qualis est?* Relatio est qualis *proprie*, & *appropriate*. *Proprie*, ut actio, & passio, forma, & materia, quibus subjectum Relationis constat. G1.

Appropriate verò: sicut calefactivum, calefactibile, & calefacere, & ea appropriata, & accidentalis Relatio applicabilis est ad substantiam ignis, similiter ad, àeris, in quantum àer per ignem est calefactibilis, & in calefaciendo aquam calefactivus; & ad aquam calidam, quæ calefactiva est calefaciendo carnes, & calefactibilis in quantum per ignem, & àerem calida efficitur, ut *per Regulam G.* patet. G2.

Relatio *Quando est?* Relatio est, quando suum subjectum est existens, sive agens, ut actio, & passio substantiales (*quæ instantanee existunt in tempore*) constituentes subjectum. Sed in quantum substantia est agens, Relatio est *successive in tempore*, ut generans, generabile, & generare: ut *per Regulam H.* significatum est. H.

Relatio *Vbi est?* Relatio est in suo subjecto per unum modum, & extrà subjectum per alium. In subjecto, ut in bonitate bonificativum, bonificabile, & bonificare, quæ sunt de ejus essentia; Extrà subjectum verò, sicut inter patrem, & filium, & inter ignem, qui est calefactivus, & aquam, quæ est calefactibilis, & martellum, quod habet actionem, & clavum, qui habet passionem, &c. ut *per Regulam I.* significatum est. I.

Relatio *Quomodo est?* Relatio est secundum eum modum, per quem se habent suæ partes ipsi còessentiales, ut in generatione, generans habet modum activum moventem cum forma materiam ad patiendum, ut genitum sequatur, qui est finis: & sic de actione martelli, & passione clavi, qui per motum manus, ad martellum, & ad clavum existunt: similiter, ut equus, qui modum habet mo- K1.  
vendi

## 48 TERTIA DISTINC. DE ACTIONE.

vendi se ipsum, ex quo sequitur actio, & passio: ut *per Regulam K1.* significatum est.

**K2.** Relatio *Cum quo est?* Relatio est cum suis primis Principijs sibi còessentialibus. Nam sicut dictio est cum suis syllabis, Propositio, cum suis dictionibus, syllogismus cum suis propositionibus, ita, & Relatio cum suis partibus subjectivis, quæ sunt pater, & filius, calefactivum, calefactibile, & calefacere, &c. ut patet *per Regulam K2.*

Dictum est de Relatione, & de ipsa est data doctrina per quam responderi potest, & quidem rectè, quæstionibus factis de Relatione.

### CAP. V.

#### DE ACTIONE.

**B.** **V**trum *Actio, & forma in subjecto, in quo existunt, convertantur?* Respondendum est: quòd Actionum, alia est *primitiva*, alia *secundaria*. Primitiva substantialis est, sive substantiativa, quæ cum se ipsa, & cum sua propria materia constituit Generalem substantiam compositam ex forma, & materia substantialibus, & talis Actio est convertibilis cum sua eadem forma.

Actio verò *secundaria*, quæ est actus primæ formæ posita in genere accidentis, convertitur cum forma accidentali, ut caliditas, quæ convertibilis est cum sua Actione, hoc est cum sua activitate; & hoc *per Regulam B.* significatur. De substantiali, & accidentali Actione, hæc junctim dixisse sit fatis, nunc seorsum de accidentali maxime quidem erit sermo.

**C1.** Actio *Quid est?* Actio est *forma, cum qua agens agit in subjecto*. Ut ignis, quia agit cum caliditate in subjecto calefacto. Sed hujusmodi Actio non habet in se actionativum, actionabile, & actionare, cum hæc non de suo, sed de genere substantiæ, sint: ut supra significatum



catum est supra : unde habitus eorum est per accidens.

Actio quidem accidentalis est in subjecto Activa, cum sit C3.  
substantialis actus Actionis, & in subjecto in quo existit, ha- C4.  
bet suum esse, & actionare: ut per Regulam C. significatum est.

Actio de quo est? Actio est de respectu sui generis, D1.  
sed non habet de quo sit materialiter, cum sit forma sim- D2.  
plex, & accidentalis. Actio item possessivè, subdita est D3.  
Actioni substantiali, cui instrumentum est, cum quo agit:  
ut per Regulam D. significatum est.

Actio Quare est? Actio formaliter est, quia sua causa E1.  
est, videlicet causa substantialis. Actio autem, quæ est E2.  
effectus, est propter finem suæ causæ: ut caliditas ignis,  
quæ ideo est: ut ignis calefaciat cum ipsa calefactibile:  
ut per Regulam E. significatum est.

Actio Quanta est? Cui rectè respondetur: quod actio F.  
est duplex, una substantialis, alia accidentalis: ut supra de  
ipsis dictum est. Actio substantialis est continua per essen-  
tiam; accidentalis verò est diffusa successivè per discre-  
tas quantitates: ut caliditas ignis in àèrem, aquam, ter-  
ram, hominem, piper, & reliqua: ut patet in Regula F.

Actio Qualis est? Actio habet duas species, videlicet G.  
propriam, & appropriatam. Propria est, sicut Actio qua-  
litas ignis, quæ propria est ipsi igni; Appropriata, verò,  
iterum est duplex, videlicet naturalis, & artificialis; na-  
turalis sicut Actio, quam habet ignis per siccitatem in àère,  
aqua, homine, pipere, &c. accidentalis, ut ea, quam habet  
Faber in clavo, Dominus in servo, &c. ut per Regulam  
G. significatum est.

Actio Quando est? Actio est, quando suum subjectum H.  
est, sinè quo existere non potest: ut caliditas, quæ est  
quando ignis est, & hæc Actio continua, & instantanea  
est in tempore. Est autem, & alia Actio in tempore suc-  
cessivè quando agens agit in subjecto: ut ignis in aqua,  
in

in homine , &c. & Faber in clavo : ut patet *in Regula H.*

I. Actio *Vbi est?* Actio est in subjecto : sicut forma in materia, qua agit , ipsi communicando , & dando esse cum suis proprijs accidentibus collocatis , & sustentatis in Generali substantia constituta ex sua substantiali *forma*, & *materia* : veluti in substantia ignis , in qua existunt quantitas , qualitas , relatio , & hujusmodi. Actio adhuc est in actu substantiæ : sicut caliditas ignis in calefacere , & in calefactibili : & Actio Fabri in actu fabricandi , quando clavum deducit in actu : ut *in Regula I.* monstratum est.,

K1. Actio *Quomodo est?* Actio *secundaria* habet modum essendi secundum modum actionis *substantialis* , cum modus *secundarius* sit effectus; sed *primarius* sua causa : ut substantia ignis , quæ secundum modum quem habet existendo id quod est, per substantialem formam , & materiam, influit similitudinariè modum secundarium, per quem ignis , modum habet agendi in subjecto elementato, cum alijs elementis , & accidentibus , quod *per Regulam K1.* significatum est.

K2. Actio *Cum quo est?* Actio *secundaria* est cum principijs suæ causæ, quæ causa , cum suis principijs causat principia *secundaria* , cum quibus constat ipsa Actio *secundaria* : ut in substantia ignis , in qua Actio caliditatis est cum calefactivo , calefactibili , & calefacere, quæ cum ignificativo , ignificabili , & ignificare existunt : ut etiam patet *in Regula K2.*

Per ea , quæ de Actione dicta sunt , & quidem per decem Generales Regulas discursa , docetur tam Logicus , quam Naturalis solvere quæstiones , & dubitationes quæ fieri possunt de Actione. Sed cum Actio , & passio *relative se habeant* : quidquid dictum est de Actione , rectè è contrario intelligi potest de passione ; unde ocio-

sum

sum, & superabundans esset, amplius de ipsa differere,

## CAP. VI.

## DE HABITU.

**V**trum vegetativa in rosa sit Habitus corporeus? Et B. dicimus quod sic. Quia rosa est substantia composita de forma, & materia elementorum, & per vegetativam sibi conjunctam deducta in speciem vegetati: unde rosa sic est substantia vegetata: sicut Leo substantia sensata, quod fieri non posset, si vegetativa non esset Habitus corporeus in suo subjecto, non occupans locum; cum non sit Habitus lineatus secundum suum genus: sicut natura, quæ quo ad se, nec lineata, nec figurata existit in suo naturato: & hoc patet per Regulam B.

Habitus *Quid est?* Habitus est *ens habitans subjectum* C1. in quo est: sicut natura, quæ habitans naturatum, bonitas bonum, justitia justum, & sic de reliquis.

Habitus etiam habet in se habitans, habitabile, & C2. habitare: ut justitia, *justificabile*, & *justificare*, & pannus caputium, chlamidem, & tunicam.

Habitus item est agens in subjecto, in quo est: sicut intellectus in suo proprio intelligibili habitans species peregrinas, in quantum facit eas intelligibiles. C3.

Habitus iterum in subjecto in quo est, habet similitudinem subjecti: ut caliditas calidi, castitas, casti, cuculla Monachi: ut per Regulam C. significatum est. C4.

Habitus *de quo est?* Habitus est de se ipso, eò quòd D1. genus est.

Habitus præterea est de *habitativo, habituabili, habitare* D2. in quantum est similitudo sui subjecti influxa per accidens ab ipso subjecto: ut habitus caliditatis diffusus in calefactivo, calefactibili, & calefacere sustentatis in

in *ignificativo, ignificabili, & ignificare.*

- D3. Habitus item extrinsecus subditus est Habitu intrinsecus: ut Habitus Logicalis, qui subditus est Habitu naturali intellectus: & hoc patet *per Regulam D.*
- E1. Habitus *Quare est?* Habitus est, *quia sua causa est sicut Differentia, & proprietas quæ naturam habituant, ipsam distinguendo, & appropriando, ex naturante, naturabili, & naturare.*
- E2. Habitus præterea est *propter finem*, ut substantia, per ipsam sit indicata, & cognita: ut ignis per caliditatem, Monachus per cucullam, currere per cursum, &c. & hoc patet *in Regula E.*
- F1. Habitus *Quantus est?* Habet duas species; per unam,
- F2. habet *quantitatem continuam*; sicut pannus colorem; per aliam verò *quantitatem discretam*: ut pannus, divisionem in tunicam, chalydem, pallium, & hujusmodi. Adhuc Habituum, alius extrinsecus, alius intrinsecus: (ut proximè dictum est;) & hoc patet *in Regula F.*
- G1. Habitus *Qualis est?* Habitus duas habet species, per unam est *proprius*; per aliam *appropriatus*; proprius, ut intellectus, qui habet proprium, & naturalem Habitu.
- G2. Appropriatus verò: ut idem intellectus, qui sibi appropriat Habitu imaginandi, & sentiendi, quando intelligit res imaginabiles, & sensibiles, quas facit intelligibiles in suo proprio Habitu sibi còessentiali, & substantiali: ut ignis, qui in suo Habitu ignibili, multiplicat Habitus appropriatos, qui per accidens de genere caliditatis existunt, eò quòd sunt subjecti calidi, & de Habitu Artium liberalium, & mechanicarum, &c. ut *per Regulam G.* significatum est.
- H. Habitus *Quando est?* Habitus est; quando suum subiectum est, & est in tempore tribus modis. Nam alius Habitus est *in potentia*: ut Habitus dialecticus, qui in Grammatico est *in potentia*. Alius verò *in actu*, videlicet

cum

cum Logicus ipse Dialecticam docet, qui quidem Habitus, rectè quidem practicus nominari solet. Alius est Habitus *theoricus*, scilicet, cum dialecticus ipse theoricam legit: & hoc per Regulam H.

Habitus *Vbi est*? Habitus est in subjecto in quo est, & hoc dupliciter, videlicet *intrinsecè*, & *extrinsecè*. *Intrinsecè*, ut scientia in mente, & natura in naturato. *Extrinsecè* verò, ut Habitus practicus in mechanicis: ut in Regula I. significatum est. I.

Habitus *Quomodo est*? Habitus est per modum *Differentia*, & *Proprietatis* (quæ rerum essentias intrant) *distinguendo*, & *appropriando*; veluti natura subjecto in quo est, quæ per differentiam, uno modo consistit in *naturante*, alio modo in *naturato*, alio in *naturare*. K 1.

In *naturante* quidem proprietas ponit propriam *activitatem* naturalem, in *naturabili* autem propriam *passibilitatem*; in *naturare* verò proprium *agere*, & ex his tribus procedit Habitus naturalis: ut Habitus *Triangularis*, qui egressus est, à lineis, & angulis trianguli, quod patet in Regula B. & in Regula K. notatum est.

Habitus *cum quo est*? Habitus est cum suis proprijs *Principijs* causativis, videlicet cum *efficiente*, *materia*, *forma*, & *sine*. Cum *efficienti*, sicut intellectus, qui est habituans addiscendo. K 2.

*Materialiter*, ut pannus, ex quo, & cum quo sartor efficit plures Habitus: ut tunicam, cappam, &c.

*Formaliter*: ut intellectus, qui in suo proprio intelligibili habituatur rosam, & lapidem, in quantum facit ipsas existere intelligibiles.

*Finaliter*, velut idem intellectus, qui se habituatur objective de sensitivo, & imaginabili, ut cum ipsis fiat practicus, intelligendo se ipsum, & ea, quæ sunt sensibilia, & imaginabilia, & hoc in Regula K. significatum est.

Diximus

Diximus de Habitu, & datus est modus per quem Naturalis, sive Logicus potest cognoscere dubia, quæ oriri possunt circa Habitu.

## CAP. VII.

## DE SITV.

- B.** **V**trum *sensitiva in subjecto in quo est, situata sit per lineas sibi coëssentiales?* Et dicimus, quod non: quia sic, esset corpus longum, latum, & profundum, & occuparet locum subjecti, in quo est, aut materialiter esset divisibilis, & miscibilis, quod est impossibile: ut patet per *Regulam B.*
- C1.** *Situs Quid est? Situs est ens indicans situationem rerum: ut Situs Civitatis, quæ indicat situationem domorum, vicorum, &c.*
- C2.** *Situs habet per accidens situativum, situabile, & situare, in quantum, de se induit hæc tria, in quibus essentia ipsorum est situata, è contrà, veluti substantia, in sibi coëssentialibus concretis.*
- C3.** *Situs adhuc est in subjecto situans ipsum de se ipso, sicut color in colorato, in quo extat situatus.*
- C4.** *Situs item habet semetipsum in subjecto, in quo est, cum sine subjecto esse non possit, & hoc patet in Regula C.*
- D1.** *Situs de quo est? Situs est de se ipso, ut sit Principium Universale.*
- D2.** *Situs item est de situabilibus, in quatum ipsa ita existunt induta, & figurata de situ, sicut habituata de Situ.*
- D3.** *Situs etiam ita est subditus suo subjecto, sicut instrumentum subditur agenti: ut in Regula D. significatum est.*
- E1.** *Situs Quare est? Situs est, quia suum subjectum terminatum, & figuratum est: ut Situs hominis, leonis, turris, & reliquorum hujusmodi.*
- E2.** *Situs adhuc ideo est, ut substantia ex ipso sit induta, &*

agens

agens agere possit in subjecto: ut significatur in Regula E.

Situs *Quantus est?* Situs est quantus duobus modis: videlicet *continue*, & *discrete*: Continue, ut Situs Universalis in quo situata est substantia Mundi, & substantia leonis, hominis, &c. in quibus substantia *continue* situatur. F1.

Discrete verò: ut in *Triangulo*, *Quadrangulo*, & *Circulo*, in quibus quantitas est discreta, & per consequens Situs discretus, quod patet in Regula F. F2.

Situs *Qualis est?* Situs est qualis duobus modis *Proprie*, & *Appropriate* *Proprie*: ut bonitas, quæ assituata est in suo proprio *bonificativo*, *bonificabili*, & *bonificare*, & natura in suo proprio *naturativo*, *naturabili*, & *naturare*, & homo in suo Situ. Gr.

*Appropriate* verò, sicut caliditas in aqua, scientia in intellectu: & sic de reliquis: ut per Regulam G. significatum est. G2.

Situs *Quando est?* Situs est, quando suum subjectum est, eò quòd in ipso habet suum esse, ex quo fit, qui Situs est in tempore instantaneo, quando ejus subjectum non est in motu: ut navis existens in statione, vel portu; sed quando mota existit in mari, ejus Situs extat in tempore successivè: ut per Regulam H. significatum est. H.

Situs *Vbi est?* Situs est in suo subjecto: ut caliditas in igne: & Situs trianguli in lineis, & angulis ipsius triangulis, & Situs animæ, & corporis in homine: & Situs turris in suo colore, figura, & superficie: & motus in *motivo*, *mobili*, & *movere*; & sic de reliquis; quod in Regula I. figuratum est. I.

Situs *Quomodo est?* Situs est secundum modum sui subjecti, per quem habet suum esse, cum modus situationis habeat convenientiam ad modum subjecti: ut patet in Regula K. K1.

Situs *Cum quo est?* Situs est cum suis primis Principijs: K2.  
ut

ut arbor, que situata est cum assituatione elementativæ, & vegetativæ; & leo cum elementativa, vegetativa, & sensitiva, & sic de reliquis; quod etiam patet *in Regula K2.*

Dictum est de Situ, & data est doctrina, per quam de ipso possumus habere notitiam.

## CAP. VIII.

## DE TEMPORE.

- B.** **V**trum *Tempus sit divisibile?* Et respondendum est distinguendo; videlicet, quòd Tempus est indivisibile quo ad se, cum sit accidens; sed, in quantum substantia existit in tempore, Tempus divisibile est ratione motus ipsius substantiæ: sicut Sol, qui per motum multiplicat momenta, horas, dies, & annos successivè: ut figuratur *in Regula B.*
- C1.** Tempus *Quid est?* Tempus est ens, cum quo magis participat motus, quàm cum alio accidente.
- C2.** Tempus habet in se *immobile, & mobile.* Immobile, sicut est motus Coeli, qui quoad se immutabilis est de loco ad locum; mobile verò, sicut Saturnus, in quo Tempus est mobile de uno signo in aliud successivè: eodem modo de generabilibus, & corruptibilibus.
- C3.** Tempus adhuc est in alio, videlicet in subjecto, tanquam dispositio, sive medium, per quod subjectum est mobile, eò quòd sine tempore non esset mobile.
- C4.** Tempus etiam habet in subjecto mobilitatem, velut nauta dormiens, vel sedens in navi: ut *in Regula C.* significatum est.
- D1.** Tempus *de quo est?* Tempus est de se ipso, in quantum est Principium Generale.
- D2.** Tempus, etiam, est de *motivitate, mobilitate, & movere* eò quòd Tempus extat mobile in subjecto: ut supra diximus.
- D3.** Tempus præterea subditum est subjecto, eò quòd ejus
- dis-



dispositio est, in quantum subjectum non potest moveri sine Tempore: quod per *Regulam D.* significatum est.

Tempus *Quare est?* Tempus est, quia sua causa est: velut Sol, qui per suam presentiam multiplicat dies; per absentiam vero noctes. E 1.

Tempus iterum est, ut entia sint mobilia, quod fieri non posset sine Tempore: & hoc patet in *Regula E.* E 2.

Tempus *Quantum est?* Tempus est quantum duobus modis. Primus modus est *instantaneus*, & *continuus*, ut motus Octavae Sphaerae, qui est instantaneus, & continuus. F 1.

Secundus modus est *successivus*, & discretus *multiplicando*, *alterando*, *augmentando*, *transseundo* motus inferiores: ut per *Regulam F.* significatum est. F 2.

Tempus *Quale est?* Tempus est quale *Proprie'*, per continuitatem, ut in motu Solis. G 1.

*Appropriate*, per *successionem*: ut in motu generabilium, & corruptibilium: ut significatum est in *Regula G.* G 2.

Tempus *Vbi est?* Tempus est in loco, videlicet in subjecto duobus modis. Continue: ut in loco substantiae Mundi, in quo Tempus sic extat continue locatum, sicut locus in Tempore substantiae Mundi extat continue temporificatus; Successive vero, sicut Tempus, quod successive extat mobile per accidens, velut substantia Solis progrediens de uno loco in alium causat dies, Faber clavos, & reliqua huiusmodi: ut in *Regula I.* notatum est. I.

Tempus *Quomodo est?* Tempus est per illum modum per quem habet suum esse in subjecto, & per quem subjectum temporificatum est per Tempus, quod in *Regula K.* notatum est. K 1.

Tempus *Cum quo est?* Tempus est cum suis primis Principijs, cum quibus successive consistit in motu subjecti: ut substantia Solis, quae cum sua propria mobilitate, & sua propria Bonitate Magnitudine, Virtute, & reliquis proprietaribus K 2.

## 58 TERTIA DISTINCTIO DE LOCO.

tatibus sibi còessentialibus movet inferiora, & cū Tempore successivè generando, corrumpendo, & augmentando in subjecto, actum qualitatis ipsius subjecti, velut in igne, in quo multiplicat calorem in æstate, & in aqua frigiditatem in hyeme. Tempus adhuc extat continuè cum suo subjecto, videlicet substantia Mundi, sine quo esse non potest: quod etiam significatur *per Regulam K.*

Dictum est de Tempore, & per hoc, quod de ipso dictum est, omnes Quæstiones, quæ fieri possunt de tempore, remanent solubiles.

### CAP. IX.

#### DE LOCO.

- B. **V**trum *Locus sit ens continuè inter continens, & contentum?* Et dicimus quod sic. Locus enim Principium Generale est, propter quod entia existunt locabilia, quod esse non posset Principium Generale, nisi esset ens commune, inter locans, & locatum: quod *per Regulam B.* significatum est.
- C<sub>1</sub>. *Locus Quid est?* Locus est *ens per quod unum corpus extat locabile in alio, vel una pars corporis in alia:* ut per *Primam speciem Regula C. & in Regula B. & K.* significatum est.
- C<sub>2</sub>. Locus etiam *habet in se locativum, locabile, & locare,* quæ sunt de essentia subjecti, in quo est sustentatus Locus, & subjectum in Loco collocatum: ut patet *in secunda specie Regula C.*
- C<sub>3</sub>. Locus præterea est *in subjecto,* ens commune, per quod Locus continentis, & Locus contenti (qui speciales existunt) participant in eodem genere: ut *in Tertia specie Regula C.* notatum est.
- C<sub>4</sub>. Locus item habet in alio (videlicet in subjecto) semetipsum, & virtutem, & actum; subjectum enim per Locum

cum extat locabile, & per ipsum de uno Loco in alium mutabile: ut *in Quarta specie Regula C.*

Locus *de quo est?* Locus est de se ipso: ut sit Principium *primitivum*, per quod omnia existant locabilia. D<sub>1</sub>.

Locus adhuc est de locativo, locabili, & locare; sed hoc discretivè, & per accidens: ut per ipsa existat divisibilis. D<sub>2</sub>.

Locus etiam subditus est suo subjecto, videlicet substantiæ, quæ ita locat se ipsam, & suas partes cum Loco, sicut se habituat cum habitu: & hoc patet *in Regula D.* D<sub>3</sub>.

Locus *Quare est?* Locus est *quia sua causa est.*

Locus item est: ut entia cum Loco locabilia, & mobilia sint, quod sinè Loco fieri non posset: & hoc patet *in Regula E.* E<sub>1</sub>.  
E<sub>2</sub>.

Locus *Quantus est?* Locus est quantus duobus modis: *continuè*, & *discretè*, & hoc per accidens. Continuè: ut substantia Mundi quæ continuè locata est, & substantia hominis, turris, & reliquorum. F<sub>1</sub>.

*Discretivè* sicut Locus divisus inter continens, & contentum: ut notatum est *in Regula F.* F<sub>2</sub>.

Locus *Qualis est?* Locus est qualis duobus modis. *Propriè*, & *Appropriatè*. Propriè: ut substantia Cœli, quæ est in suo proprio Loco; & substantia hominis in suo loco, in quo est homo. G<sub>1</sub>.

*Appropriatè* verò: ut sphaera Saturni, quæ est locata, & contenta, in Octava sphaera; & homo in camera in qua est, & ita de alijs: ut significatum est *in Regula G.* G<sub>2</sub>.

Locus *Quando est?* Locus est quando suum subjectum est, eò quòd sinè subjecto esse non potest. Et Locus est mobilis, quando suum proprium subjectum est mobile de uno Loco in alium: ut homo de camera in aulam: & sic de reliquis hujusmodi. Locus etiam, in quo homo est, est in uno Loco, & in uno tempore quando est in camera, & in alio, quando est in aula: & hoc patet *in Regula H.* H.

Locus

I. Locus *Vbi est*? Locus est *Continentis*, & *Contenti*, quæ specifica sunt: videlicet Locus amphoræ, & vini, quæ sunt in loco, qui est genus, & Locus in quo homo est in camera, aut in aula, aut in cursu, & ita de alijs; est specificus: ut *per Regulam I.* significatum est.

K<sub>1</sub>. Locus *Quomodo est*? Locus est per illum modum per quem subjectum est locabile in ipso loco. Et Locus, in quo homo est homo, est per modum inseparabilem, ita in suo proprio subjecto, sicut caliditas in igne. Et ipse Locus mobilis est de uno Loco in alium, quando suum subjectum proprium se movet de uno Loco in alium: quod *per Regulam K<sub>1</sub>.* significatum est.

K<sub>2</sub>. Locus *Cum quo est*? Locus est cum suo subjecto in quo est, & sine quo esse non potest, & est cum alijs accidentibus ab eo differentibus genere, quantitate, qualitate, &c. sine quibus non potest esse in subjecto, quod etiam patet *in Regula K<sub>2</sub>.*

Dictum est de Loco, & per ea, quæ de ipso dicta sunt, potest Artista solvere Quæstiones, quæ de Loco fieri possunt.

Diximus de decem prædicamentis, & quia quidquid est, ipsis est applicabile, doctrina, quam dedimus Generalis existit.

### DE QVARTA DISTINCTIONE

*Quæ est de centum formis.*

**H**ÆC Distinctio dividitur in *Centum formas* sive definitiones. In duabus autem istarum formarum servabimus modum, quem supra tenuimus: ut per earum exemplū, sciat Artista, & reliquas formas discurrere, per supradictas decem Regulas Generales. Et primò dicemus de Primâ.

#### DE INDIVIDVO I.

B. **Q**uæritur *Vtrum, supposito, quod Deus annihilaret (\*)* omnia individua naturæ humanæ, an remaneret sua  
Spe-

(\*) *Latè loquitur Dr. ut patet ex Solutione.*

*Species in rerum natura* ? Et dicimus, quod sic: ut significatur per istum Syllogismum: *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Unde supposito quod anihiletur Conclusio; ipsa tamen remaneret in *potentia*, habitu, & dispositione, per Præmissas. Similiter, & humana species, quæ in animali, & in substantia remaneret, & ita de suis individuis: ut per *Regulam B.* significatur.

Individuum *Quid est* ? Individuum est *substantia in qua* C1.  
*Genus, & species quietem habent*; existunt enim, ut sit individuum.

Individuum etiam *habet in se* sua Principia sibi còessentialia, & naturalia: ut rosa suam elementativam, & vegetativam: Leo suam elementativam, vegetativam, sensitivam, & imaginativam; homo elementativam; vegetativam, sensitivam, imaginativam, & rationativam: ignis suam formam, & materiam: similiter, & Sol suam formam, & materiam: item, & Angelus suam formam, & materiam spirituales. C2.

Individuum iterum *est in suis* accidentibus prædominans, ipsa sustentans, & applicans ad agentiam. C3.

Individuum item, habet actionem in alio: ut ignis in C4.  
àère calefaciendo, faber in clavo; Dominus in servo, &c.  
& hoc patet *in Regula C.*

Individuum *de quo est* ? Individuum est *de se ipso*, eò D1.  
quod per se ipsum existit, & datus est ei simplex, & proprius numerus.

Individuum tamen *materialiter* est constitutum de suis D2.  
còessentialibus Principijs, sicut homo de anima, & corpore: & Leo de sua forma, & materia; & sic de reliquis.

Individuum item, unum alteri subest: ut àër, qui igni D3.  
subditus est in calefaciendo, martellum manui, in movendo;  
clavus, martello, in percutiendo: & hoc patet *in Regula D.*

Indivi-

E1. Individuum *Quare est?* Individuum *formaliter* est quia est constitutum ex suis primis Principijs veris, necessarijs, sibi còessentialibus, substantialibus, atque naturalibus: ut Socrates ex anima, & corpore: leo ex sua forma, & materia, & reliqua hujusmodi.

E2. Individuum præterea est *propter finem*: ut Genus, & species, & accidentia cuncta attingant *finem*, ad quem sunt in ipso, & per ipsum, & conquiescant in ipso: ut in *Regula E.* significatum est.

F1. Individuum *Quantum est?* Duobus modis potest considerari quantitas Individui; nam unum Individuum est, quod cum sua specie est convertibile: ut substantia Mundi, quæ supra se non habet speciem; ab alio enim nullo materiali sibi superiore derivatur: & istud Individuum habet *quantitatem continuam*, indivisibilem, & inimaginabilem.

F2. Et per ea, quæ in se continet: ut Octavam Sphæram, Saturnum, Jovem, &c. habet *quantitates discretas*.

Est, & aliud Individuum sub sua specie constitutum: ut Socrates, leo, &c. quod habet *quantitatem continuam* in quantum est unum, sed in quantum Socrates constituitur ex pluribus principijs, videlicet elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa, & rationativa, ejus quantitas est diffusa in istis, per *discretas quantitates*: ut in *Regula F.* notatum est.

G1. Individuum *Quale est?* Individuum est quale duobus modis, videlicet *Proprie'*, & *Appropriaté'*. Proprium est illud, quod existit in rerum natura: ut Socrates, equus, canis, & hujusmodi. Quod quidem iterum est quale duobus modis, videlicet *naturaliter*, & *per accidens*: naturaliter, ut Socrates qui est risibilis; & equus qui est bonus. Per accidens verò: ut idem Socrates, per justitiam justus; & equus per cursum benè currens: & ita de alijs.

G2. Individuum verò *appropriatum*, est secundum numerum:

rum: veluti in numero denario in quo consistunt decem unitates, in centenario centum, &c. qualibet earum consistente per se indivisa: quod *per Regulam G.* significatum est.

Individuum *Quando est?* Individuum est quando sunt sua Principia còessentialia sine quibus esse non potest: ut Socrates, qui tunc extat Individuum, quando suæ quinque potentiaè superius memoratæ conjunctæ existunt; non autem quando divisæ, aut una, aut plures deficiunt in subiecto generando, subintrante femine maris matricem feminæ: & hoc ut remaneat distinctio, quæ existit inter *potentiam*, & *actum*: quod patet *in Regula H.*

Individuum *Vbi est?* Individuum est in se ipso, eò quòd partes substantiales, ex quibus est, existunt in ipso: ut Socrates, qui in se ipso est homo, qui fuit etiam *in potentia* in matrice mulieris quando anima non erat conjuncta corpori: ut *per Regulam I.* significatur.

Individuum *Quomodo est?* Individuum est per illum modum, quem indicat *Regula K 1.* nam illa *Regula* extat exemplum generale omnibus modis subsistentibus in individuo.

Individuum *Cum quo est?* Individuum est cum suis proprijs Principijs substantialibus, & accidentalibus, sinè quibus esse non potest. Præterea Individuum est cum alio per viam generationis: ut Socrates qui cum Patre, & Matre, & cum humana specie, & cum Sole existit, & hoc patet *in Regula K 2.*

Per ea, quæ sub brevibus de individuo dicta sunt, potest Artista solvere dubia, quæ de ipso fieri possunt.

## CAP. II.

## DE BONITATE 2.

*Qua est secunda forma.*

**V**trum *in subiecto creato sit aliqua Bonitas substantialis?* B.  
Et dicitur, quòd sic. Quoniam si in subiecto creato non esset

esset aliqua substantialis Bonitas, substantia non esset substantialiter bona per se, imo per accidens, & accidens esset propriè per se bonum. Unde sequeretur quòd accidens esset magis bonum, quàm substantia, quod est impossibile: est ergo in subjecto aliqua Bonitas substantialis, per quam subjectum sit substantialiter, & naturaliter bonum, & ita de Magnitudine, & reliquis intelligitur: ut patet *in Regula B.*

- C<sub>1</sub>. Bonitas *Quid est?* Bonitas est id ratione cuius bonum agit bonum: & sic bonum est esse, & malum est non esse. Hoc est dicere: bonum est quòd existentia, & agentia Bonitatis sint, & ejus privatio malum est.
- C<sub>2</sub>. Bonitas etiam habet in se sibi còessentialia *bonificativum, bonificabile, & bonificare*, in quibus est diffusa, & sustentata, & per hæc tria habet naturam existendi, & agendi.
- C<sub>3</sub>. Bonitas est in subjecto ratio, ut subjectum agat bonum per ipsam: sicut caliditas est ratio igni, ut producat calefactum.
- C<sub>4</sub>. Bonitas præterea in subjecto habet se ipsam, & suam agentiam: ut *in Regula C.* significatum est.
- D<sub>1</sub>. Bonitas *de quo est?* Bonitas est de se, in quantum est principium generale; quidquid enim est bonum, per ipsam, & in ipsa existit bonum.
- D<sub>2</sub>. Bonitas autem *materialiter* est ex suis proprijs concretis, videlicet *bonificativo, bonificabili, & bonificare*, de quibus est constitutum suum commune concretum scilicet bonum, cuius ipsa Bonitas existit essentia.
- D<sub>3</sub>. Bonitas adhuc subdita est subjecto, in quo est, eò quòd id ipsum subjectum est magis generale, quam ipsa Bonitas, quia est constitutum ex pluribus Principijs, ut Socrates agens cum Bonitate naturaliter, & moraliter: & hoc significatur *in Regula D.*



Bonitas *Quare est?* Bonitas naturalis est, quia ejus còessentialia, & substantialia concreta sunt, videlicet *bonificativum, bonificabile, & bonificare.* E1.

Bonitas autem moralis est, quia sua bona causa est, videlicet Bonitas justitiæ, prudentiæ, &c. quæ per hominem justum, bonum, prudentem, &c. exercentur.

Bonitas adhuc est *ratione finis*, ut entia creata habeant bonam agentiam in bonificando: ut intellectus in intelligendo, ignis in calefaciendo: homo in generando: ædificator domus in ædificando, &c: ut *per Regulam E.* significatum est. E2.

Bonitas *Quanta est?* Bonitas est duplex, videlicet *substantialis, & accidentalis*, de substantiali dictum est in principio hujus Capituli. F1.

Bonitas autem accidentalis capitur duobus modis, *naturaliter, & moraliter*. Naturaliter sicut Bonitas magnitudinis, vel arboris, quæ bona est per Bonitatem; moraliter verò sicut homo, qui est bonus per justitiam, & mechanicus per artem mechanicam.

Bonitas igitur substantialis habet quantitatem *continuã*: ut Bonitas ignis, quæ continuè existit in sua substantia.

Accidentalibus autem Bonitas consistit per *discretas quantitates*: ut caliditas àëris, aquæ, piperis, & hujusmodi: ut *per Regulam F.* significatum est. F2.

Bonitas *Qualis est?* Bonitas est qualis duobus modis; *propriè, & appropriatè*. Propriè: ut Bonitas, quæ inseparabilis est à substantia: ut in Leone, qui per suam Bonitatem est substantialiter bonus: & sic de Bonitate Angeli, &c. G1.

*Appropriatè* verò: ut Bonitas accidentalis, de qua superius dictum est: & hoc patet *in Regula G.* G2.

Bonitas *Quando est?* Bonitas tandiu est, quamdiu suum subjectum est, sine quo esse non potest. Est autem una Bonitas, quæ alijs longè supereminet existendo, & agendo, I do,

do, & ea est Divina Bonitas, quæ non in tempore; sed extrà tempus existit, eò quia æterna est; habet tamen actum in tempore, in quantum ipse Deus agit in subjecto creato. Est, & alia Bonitas creata, & ea quandoque est in *potentia*, & non in *practica* quandoque verò in *actû*, & in *practica* simul; & hoc patet *per Regulam H.*

I. Bonitas *Vbi est?* Bonitas est in suo subjecto duobus modis, sinè quibus esset defectiva, & imperfecta, videlicet *essentialiter*, & *actualiter*. Essentialiter hoc est quando suum subjectum bonum est, per essentiam Bonitatis actualiter, & quando per Bonitatem agit, & hoc significatur *in Regula I.*

K<sub>1</sub>. Bonitas *Quomodo est?* Bonitas habet modum existendi dupliciter, scilicet, *per se*, & *per aliud*. Per se: ut per suum existere. Per aliud verò, ut per suum agere. Primus modus causat secundum, trasmittens in ipsum suas similitudines, ex quibus constituitur: ut *per Regulam K<sub>1</sub>*. significatum est.

K<sub>2</sub>. Bonitas *Cum quo est?* Bonitas substantialis est cum suis proprijs, & primitivis Principijs supradictis: Et est cum alijs Principijs Generalibus: ut cum *Potestate*, sinè qua esse non potest, cum *duratione*, *virtute*, *veritate*, & *fine*. Bonitas verò *accidentalis* est cum suà causà, videlicet cum Bonitate substantiali, cujus extat effectus, quod etiam patet *in Regula K<sub>2</sub>*.

Diximus de Bonitate, & per ea, quæ dicta sunt, de his duabus formis, videlicet *Bonitate*, & *Individuo* per decem Regulas Generales discursis, potest Logicus, sive Naturalis solvere dubia, & Quæstiones aliarum formarum, quæ sequuntur, servando ordinem supradictum.

C. 3 Magnitudo igitur est *ens ratione cujus bonitas, duratio, sive aternitas, &c. sunt magna, ambiens õnes extremitates essendi*. Hoc est, quidquid est magnum, per magnitudinem

tudinem est magnum, sicut bonum per bonitatem.

4 Duratio est *proprietas ratione cujus bonitas magnitudo, potestas, &c. durant.* Nam sicut quidquid est calidum per caliditatem est calidum, ita quidquid durat per durationem est durabile. D.

5 Potestas est *id per quod bonitas, magnitudo, aeternitas, &c. possunt existere, & agere.* Quoniam sine Potestate nullum ens posset habere *existentiam, & agentiam.* E.

6 Sapientia est *proprietas ratione cujus sapiens intelligit.* Hoc est: Intellectus est potentia, sive ratio per quam est intelligibile quidquid intelligitur. Cujus figura est instinctus naturalis, per quem substantiæ (quibus intellectus non est conjunctus) naturaliter agunt: ut ignis qui habet naturalem instinctum ad calefaciendum aquam per aërem: & arbor ad faciendum folia, ramos, flores, & fructus, suo generi consimiles. F.

7 Voluntas est *id per quod bonitas, magnitudo, &c. sunt desiderabiles.* Nam sine voluntate, nullum esset desideratum, neque volitum, cujus figura est appetitus, in his rebus, quibus voluntas (quæ compars est, & consubstantialis animæ rationalis) non est conjuncta: ut in igne, qui appetitum habet ad calefaciendum: leo ad comedendum, & còeundum: arbor ad fructificandum; & sic de reliquis. G.

8 Virtus est *origo unionis bonitatis, magnitudinis, &c.* H. id est bonitate, magnitudine, &c. in subjecto invicem còeuntibus, & se habituantibus de virtute, manant, ex ipso, & oriuntur actus virtuosus, ex quibus constituitur justitia, prudentia, & reliqua hujusmodi. Et hæc definitio fit per actum, sive per agere.

9 Veritas est *id quod verum est de bonitate, magnitudine, &c.* I. sicut enim quidquid bonum est, est bonum per bonitatem: ita quidquid est verum, verum est per veritatem.

Gloria

- K. 10 Gloria est *ipsa delectatio, in qua bonitas, magnitudo, &c. quiescunt*. Nam quemadmodum in essentia, sive in genere bonitatis, malum in esse non potest: ita in essentia, sive in genere Gloriæ non potest esse labor nec pæna.
- I.C. 11 Concordantia est id, *per quod bonitas, magnitudo &c. in uno, & in pluribus concordant*. In uno: quia conjungunt, & constituunt unum subjectum in quo sunt. In pluribus verò, quia se ad invicem concordant; ut essentialiter remaneant in eodem subjecto: sicut quatuor elementa in elementato: aurum, & argentum in denario, & sic de reliquis.
- I.D. 12 Contrarietas est *quorundam mutua resistentia propter diversos fines*. Velut ignis, & aqua, quæ sibi mutuò contrariantur per calidum, & frigidum: homo bonus, & homo malus, per bonum agere, & malum agere: & ita de reliquis.
- I.E. 13 Principium est *id quod se habet ad omnia ratione alicujus prioritatis*. Id est, omnia entia Generalia sic sunt per Principium principiata: sicut bona per bonitatem, magna per magnitudinem.
- I.F. 14 Medium est *subjectum, per quod Finis influit Principio, & principium refluit fini, sapiens naturam utriusque*. Id est, Medium est subjectum in quo Principium, & finis sibi invicem obviant, ratione cujus obviationis, illud subjectum est ædificatum, & constitutum.
- I.G. 15 Finis est *id in quo principium quiescit*: ut bonitas in bonificato, amor in amato: ignis in calefacto, tunicatus in tunica.
- I.H. 16 Majoritas est *imago immensitatis, magnitudinis, bonitatis, &c.* Majoritas enim, & immensitas, magis inter se conveniunt, & concordant, quàm finitas, & minoritas.
- I.I. 27 Æqualitas est *subjectum in quo quiescit finis concordantia*

*cordantia bonitatis magnitudinis, &c. eò quia per æqualitatem distat à minoritate.*

18 *Minoritas est ens circa nihil, quia majoritas est tK. circa majus esse. Diximus de Primis Principijs Artis Generalis, modò dicere proponimus de Principijs ea consequentibus.*

19 *Essentia est igitur aliquid consideratum confusum, per quam Esse habet consistentiam; nam sicut bonum est concretum suæ bonitatis, quæ ejus Essentia est, ita, & Esse concretum est Essentia.*

20 *Natura est ens propriè consistens æqualiter inter essentiam, & Esse. Nam essentia per Naturam contrahitur ad subjectum sibi Naturale, & còessentiale, & subjectum per Naturam ad actum naturalem.*

21 *Forma est ens, propter quod actio maximè consistit. Cum extra Formam nulla actio posset sustinere.*

22 *Materia est ens propriè, & maxime sub passione consistens, Eò quòd inter Materiam, & passionem, nihil mediat.*

23 *Immobilitas est ens habituum de impossibili: Cum in impossibili nullus motus extet possibilis.*

24 *Mobilitas est ens habituum existens de possibili: Cum sine mobili, possibile convertatur cum impossibili.*

25 *Motus est actus profluxus à motivitate, & mobilitate. Ut motivum possit habere motionem, & mobile passionem.*

26 *Dubitatio est actus intellectui confusus: ut possit habere habitum credulitatis affirmando, vel negando.*

27 *Affirmatio est ens indicans esse: eò quòd intellectus aliquid supponit, quando extat affirmativus.*

28 *Negatio est ens indicans non esse. Negat enim aliquid esse, in esse, illud ponens in privatione.*

29 *Memoria est ens in quo intellectus, & voluntas reponunt species acquisitas: hic intelligendo, illa eligendo, quod*

ideo

ideo fit, quia Memoria extat principium *conservativum*.

30 Intentio est *forma*, cum qua *Logicus*, sive *Mathematicus* abstrahit similitudines à *similato*: considerans ipsas *extrá subjectum*: ut possit acquirere habitum *Logicalem*.

31 Generatio est *ens multiplicans esse*, ipsum quidem removens à non esse: eò quòd esse permutatur *de potentia in esse actuale*.

32 Corruptio est *ens diminuens esse*, & impediens ne ens, quod est *in potentia* reducatur *ad esse actuale*. Et ratio est, quia Corruptio induta est, & habituata ex habitu *privativo*.

33 Privatio est *habitus in quo esse denudatur à se ipso*. Privatio enim est medium sine quo, esse nequit transire ad non esse.

34 Opinio est *actus confusus affirmationis*. Eò quòd affirmatio assertiva non supponit Opinionem.

35 Suspicio est *actus confusus intellectús iracundi*. Eò quia iracundus iudicat cum dubitatione.

36 Conditio est *ordo positus inter Antecedens, & consequens*: ut se habeant relativè, cum unum finè alio existere nequeat.

37 Antecedens est *principium primitivum*: quia per se consistit.

38 Consequens est *principium derivativum in ultimo numero habituum*: cum post ipsum nihil existat.

39 Derivatio est *multiplicatio rerum ab uno*: nam unum esse compositum ex pluribus, multiplicat suas similitudines.

40 Influentia est *abundantia á suo principio*, ut ipsum possit habere *agentiam*.

41 Refluentia est *tractio á suo principio*: quia *subjectum* in quo refluitur, indigentiam habet.

42 Abstractum est *altitudo suo concreto superexistens*: eò quia est sua *essentia*.

- 43 Concretum est *fundamentum abstractionis*: cum abstractum dicat essentiam; concretum verò substantiam.
- 44 Causa est *principium primitivum*; cum nullum ens possit existere ante Causam.
- 45 Effectus est *principium posterius*, quia nulla actio, nec motus existere valet post effectum.
- 46 Occasio est *principium contingens non necessarium*, eò quòd habet habitum per possibile.
- 47 Simplex est *ens denudatum à pluralitate*, cum per suam propriam unitatem in suo numero consistat.
- 48 Compositum est *ens indutum de pluribus rebus*: ex pluribus quippè numeris suus proprius numerus constituitur.
- 49 Intensitas est *ens indicans se ipsum*, cum intensum sit remotum, & prolongatum à confusione.
- 50 Existencia est *ens à quo profluit agentia*, nam existencia per agentiam se nobilitat, & exaltat.
- 51 Agentia est *abundantia existentia Principiorum*: ut quodlibet ipsorum habeat suum proprium actum.
- 52 Figura est *ens indicans substantiam*: nam Figura consistit lineata in extremitatibus substantiæ, & habitu superficiali.
- 53 Necessitas est *ens, cuius oppositum est impossibile*, eò quia impossibilitas existit suus habitus.
- 54 Contingentia est *fundamentum possibilitatis*: & ratio est, quia motus est ejus habitus,
- 55 Fortuna est *habitus occasionis, & dispositionis*, quia est ab impossibilitate remota, & possibilitati propinqua.
- 56 Dispositio est *habitus existens inter potentiam, & actum*, ut inter utrumque sit motus.
- 57 Subtilitas est *habitus proveniens à Magnitudine, natura, & à practica ipsius intellectus*. Magna enim vis naturæ ad magnam investigationem disponit intellectum.
- 58 Plenum est *immixtio punctorum, linearum, & figurarum*

*rarum ex quibus constitutum est corpus.* Quod ideo fit: ut locus sit plenus, & unum corpus ita occupet suum locum: ut alteri non cedat.

59 Vacuum est *ens consideratum, consistens in impossibilitate*, cum penitus sit remotum ab omni possibilitate.

60 Potentia est *ens de genere potestatis per suum actum se indicans*, eò quòd actus, sine potentia, esse non potest.

61 Objectum est *finis habitus indicans actum*. Cum sine ipso objectum non foret objectatum.

62 Actus secundarius est *medium existens inter potentiam, & objectum*, cum sine ipsis esse non posset.

63 Umbra est *habitus aéris denigratus existens per colorem terræ*, eò quia diaphanitas àëris est posita in tenebris, & actu proprio denudata.

64 Subjectum est *ens de quo plura predicari possunt* eò quia in se continet diversa entia.

65 Prædicatum est *ens suum subjectum indicans*, eò quia sine ipso non esset id quod est.

66 Significatio est *id quod per quod secretum revelatur*; ea quippe per significationem apprehenduntur, quæ subjectum, & ex subjecto ingrediuntur, & exeunt.

67 Attractio est *actus potentiae id sibi apponens quod ab extra provenit*, & sine quo potentia non potest agere.

68 Impressio est *habitus in quo agens ponit suas similitudines*, ut per ipsas habere possit notitias de agente.

69 Similitudo est *habitus assimilativus, ut assimilans, & assimilatum possint per similitudinem participare*.

70 Numerus est *habitus per quem alia unitas differt ab alia*. Nam plures unitates esse non possunt absque proprio numero.

71 Elementativa est *potentia in subjecto, in quo est, per quam elementa simplicia existunt convertibilia in elementatum*: nam elementum simplex convertitur in elementatum per Elementativam.



72 Vegetativa est *potentia transubstantians elementa in suam essentiam*, ut sint de suo genere: quoniam sine tali transmutatione generatio, corruptio, & privatio non possent existere Principia naturalia.

73 Sensitiva est *potentia perquam subjectum, cui inest, habet actum sentiendi*.

74 Imaginativa est *potentia per quam res sensibiles existunt imaginabiles in absentia sensuum*. Nam imaginatio attrahit, & imprimit in sua essentia similitudines entium sensibilium.

75 Rationativa est *potentia propter quam anima conjuncta habet actum memorandi, intelligendi, & amandi*, & quæ in speciem humanam deducit corpus, cui adjungitur.

76 Obstinatio est *actio immodesta memoriae, & voluntatis circa objectum*, propter quam intellectus ligatur, & denudatur à libertate intelligendi, & induitur habitu credulitatis. Itaque talis intellectus dici non potest practicus, cum ponat multa esse vera, quæ falsa sunt, & quæ sunt possibilia, impossibilia.

77 Contradictio est *mentalis conceptio, extra animam omnino impossibilis*. Cujus ratio est, quia contradictio ab omni possibili est remota.

78 Capacitas est *habitus quo possibilitas est induta, eò quod agens, & agibile invicem habent proportionem, & dispositionem*.

79 Proportio est *habitus acquisitus ex actibus justitiæ, sive equalitatis, & dispositionis*. Proportio enim justitiam, & concordantiam indicat.

80 Circumstantia est *participatio entium circa idem*. Existunt enim per Circumstantiam habitui conversionis propinqua.

81 Suppositio est *antecedentis credulitas: ut de præsentibus habeatur scientia*. Suppositio namque extat materia intellectui,

lectui: ut fiat investigativus, & practicus.

82 Punctus est *minima pars corporis*: cum sit centrum indivisibilitatis.

83 Linea est *corpus ex pluribus punctis admixtis compositum*, ut corpus generale ex multis lineis sit constitutum.

84 Humidum radicale est *potentia, in qua, & cum qua agens naturale convertit in suum genus humidum nutrimentale*. Alioquin generans non posset generare generatum; nec vegetatum posset habere actum in ipsa generatione.

85 Humidum nutrimentale est *potentia per quam humidum radicale crescit. & vivit*; aliter in generatione non esset motus naturalis.

86 Alteratio est *habitus cum quo annihilatur numerus adveniens, & ejus subjectum transubstantiatur in numerum inventum*; nam aliter in generatione non posset esse alteratio.

87 Confusio est *principium in quo incohat motus generationis, & corruptionis*. Unde confusio extat subjectum, & medium motus generationis, & corruptionis, qua finirente perficitur generatio, itidem, & corruptio.

88 Augmentatio est *transmutatio unius subjecti in aliud, assumens numerum ipsius prioris, qui suum perdidit*. Quod necessario fit: ut in rebus naturalibus existat motus augmentationis.

89 Consumatio est *transmutatio antiqui subjecti in novum*, eò quia antiquum positum est in corruptione.

90 Successio est *immediata mutatio de uno in aliud per modum continuum*, cum vacuum non possit esse subjectum motus successivi.

91 Mors est *ultimus motus natura*. Natura enim post mortem nequit habere motum, quem habebat.

92 Secretum est *umbra ignorantiae intellectus*. Nam  
cum

cum ignorantia non potest esse practicus, cum in nullo, cum ipsa participet.

93 Ordo est *subjectum in quo principium, medium, & finis debitè continuantur, & disponuntur*. Nam principiū, mediū; & finis, absque ordine esse non possunt in actu perfecto.

94 Continuitas est *commixtio, & continuatio partium ad invicem, quarum altera sit in altera*. Nam quantitas continua non potest aliter habere subjectum.

95 Divisio est *habitus, in quo discretæ quantitates consistunt in potentia*. Quæ quidem Divisio, cum fit, quantitates discretæ reducuntur in actum.

96 Cogitatio est *actus, cum quo anima movet potentias inferiores ad suos actus*. Nam imaginatio per cogitationem se habet ad objectū imaginabile; sensitiva verò ad sensibile.

97 Audacia est *nobilitas animæ, movens corpus ad ea, quibus possit habere actus nobiles*. Et ratio est, quia anima extat finis corporis cui est continua.

98 Artificium est *ens homini propter necessitatem, utile*. Cum fine artificio non possit habere libertatem ad acquirendum bonos mores.

99 Scientia est *habitus intellectūs, in quo intellectus ipse existit sanus per intelligere*: cum per intelligentiam quiescat; & laboret per ignorantiam.

100 Applicatio est *forma indicans veritatem rei applicatæ*: cum Applicatio fiat respectu similitudinis applicantis, & applicati.

Diximus de Centum formis, & eas per suas definitiones declaravimus, in quibus etiam remanent implicatæ decem Quæstiones Generales supradictæ. Hæc distinctio est multum necessaria, & utilis; amplam enim materiam ad magnum scientiæ habitus acquirendum aperit intellectui, servatis tamen in qualibet formarum, modo, & ordine in primo, & secundo Capite hujus Distinctionis prænotatis.

## DE QVINTA DIS-

TINCTIONE, QVÆ EST DE SILLOGISMO, ET DE  
*his, quæ ad Syllogismum pertinent.*

- |    |                  |  |
|----|------------------|--|
| 1  | Syllogismus..... | ( Verus.<br>apparens.<br>Necessaria.   |
| 2  | Propositio.....  | ( non necessaria,<br>mixta.  |
|    | Item.....        | ( Convertibilis.<br>non convertibilis.<br>Per Regulam C.                       |
| 3  | Definitio.....   | ( per quatuor causas.<br>per actum proprium<br>& necessarium.                  |
| 4  | Demonstratio.... | ( Per quid.<br>per quia.<br>per æquiparantiam.<br>Necessaria.                  |
| 5  | Probatio.....    | ( non necessaria.<br>mixta.  |
| 6  | Locus.....       | ( A majori ad minus.<br>á minori ad majus.<br>ab æquali ad æquale.             |
| 7  | Possibile.....   | ( Per causam, & occasionem.<br>per actum infinitæ potestatis.                  |
| 8  | Impossibile..... | ( Per contradictionem.<br>per impotentiam causæ.<br>per perfectionem potentiæ. |
| 9  | Constitutio..... | ( Syllogismi multiplex.<br>Veré.   |
| 10 | Comparatio.....  | ( veriús.<br>verissimé.<br>summé.  |
| 11 | Conditio.....    | ( Vel lex Multiplex.   |
| 13 | Deductio.....    | ( Per Regulas b. c. d. &c.   |
| 13 | Figura.....      | ( Prima Secunda Tertia.  |

DE

## DE SYLLOGISMO.

**S**yllogismus est argumentum constitutum ex tribus veris, & necessarijs propositionibus. Dicimus autem quod Syllogismus est argumentum, eò quia argumentum est suum genus, & ratio est quia argumentum potest esse verum, vel falsum; Syllogismus autem semper est verus.

Partes Syllogismi multæ sunt, quarum aliquæ sunt extra ipsum; aliquæ verò intra. In his quæ sunt extra, Syllogismus consistit in *potentia*; in ijs verò quæ intra, in *actu*. Dicemus igitur de partibus Syllogismi, & primo de Propositione.

## DE PROPOSITIONE.

1 **P**ropositio est materia Syllogismi, constituta ex pluribus; veris dictionibus constituta: sicut ista: omne animal est substantia. Et dicitur materia Syllogismi, quia Syllogismus constituitur de pluribus propositionibus, videlicet duabus præmissis, & una conclusione.

2 Propositionum alia omninò necessaria: sicut Omnis homo est animal; quæ ideo dicitur necessaria, quia homo nisi esset animal, esse non posset. Alia partim necessaria, partim non necessaria, sicut ista: *homo est scriptor*, quæ necessaria est, in quantum nullum animal scribit præter hominem; & non necessaria, quia homo non necessariò, sed contingentia es scriptor.

3 Alia quæ nullo modo est necessaria, sicut ista: *Homo currit*. Currere enim pluribus animalibus competit communiter, ut homini, leoni, & hujusmodi. Ex his autem tribus modis, materia Syllogismi necessaria, & non necessaria dignoscitur.

4 Propositionum iterum, una in *potentia*, alia in *actu*. In *potentia*, quando dictiones non habent medium per quod jungantur, sicut dicere: *Animal substantia*. In *actu* verò, quando per medium junguntur; sicut dicere: *Omne animal*

*animal est substantia.*

5 Propositionum item una *brevis*, alia *longa*. Brevis, ut omnis homo est animal. Longa, ut si Deus non est, nulla substantia est infinite bona, magna, æterna, potens, &c. Brevis, clara est per suam brevitatem, & longa itidem clara per suam longitudinem. Rursus Propositio est duplex. Una clara, alia obscura. Clara: ut omnis homo est animal, quæ ideo dicitur clara, quia necessaria est. Obscura verò quando non est necessaria, sicut dicere: Petrus currit; possibile enim est Petrum non currere.

6 Propositionis duæ sunt species, *Copulativa*, & *disjunctiva*. *Copulativa*: ut *Petrus, & Guilielmus comedunt*. *Disjunctiva* iterum est duplex. *Conditionalis*, & *non conditionalis*. *Conditionalis*: ut *si dabitur mihi denarium, dabo tibi panem*. *Non conditionalis* ut: *Petrus est bonus, vel malus*.

7 Quatuor sunt modi Propositionum. Primus: ut *omnis homo est animal*, quæ est Propositio Universalis affirmativa. Secundus ut: *quidam homo est scriptor*, quæ est Particularis affirmativa. Tertia ut: *nullus homo est lapis*, quæ est Universalis negativa. Quarta ut: *quidam homo non est scriptor*, quæ est particularis negativa.

8 Propositionum item una *Convertibilis*, alia *non convertibilis*. *Convertibilis* ut: *homo est risibilis: & risibile est homo*. Quæ ideo convertitur quia homo non prædicatur de genere, sed de sua proprietate. *Inconvertibilis* verò ut: *omnis homo est animal*, & est *inconvertibilis*, quia prædicatum est superius, & subjectum inferius.

9 Fit item *Conversio* tribus modis in propositione. Primò *per accidens*: sicut dicere: *currit homo: homo currit*. Secundò *mutando subjectum in prædicatum, & prædicatum in subjectum* in rebus naturalibus, & necessarijs, sicut dicere: *Deus est bonus: bonus est Deus*. *Homo est risibilis: risibile est homo*.

10 Universalis negativa convertitur in Syllogismo: ut cū dicitur:

dicitur: *nullus homo est lapis: nullus lapis est homo*. Particularis affirmativa convertitur, ut: *aliquis homo est albus: aliquod album est homo*. Universalis autem affirmativa non convertitur; nam *omnis homo est animal: omne animal est homo*, non valet. Nec particularis negativa convertitur: ut *quidam homo non est scriptor: quidam scriptor non est homo*.

11 Propositiones etiam fiunt tredecim modis, per quorū quinque constituitur Syllogismus; per reliquos verò argumentum. Primò ut hæc: *totum majus est sua parte*. Secundò per sensibilitatem, ut: *omnis homo est animal: & homo habet caput*, quia id apprehenditur sensu. Tertiò quando subjectum continet in se ea, per quæ est cognitum, & manifestum, ut: *numerus quinaris, duo, & tria: & homo, caput, & collum*.

12 Quartò per *experientiam*: ut *ignis est calidus: scamonea laxativa, &c.* Quintò per *communem conceptionem*: ut qui rem non visam, per auditum cognoscit: velut Socrates, qui quamvis Parisios nunquam adisset, enuntiat tamen Civitatem Parisij esse, quia à multis audivit. Ex his quinque modis ( ut dictum est ) fit Syllogismus; ex sequentibus verò argumentum.

13 Sextò item fit Propositio per *opinionem*: ut quando de homine frequentèr pernoctante, est opinio quod sit latro, vel adulter. Septimò fit per *publicum*, cum de homine publicè mentiente, dicitur, quòd non est verax.

14 Octavò per *suppositionē*, quæ quandoque vera est, quandoque falsa: ut Sarraceni, qui supponunt Mahometum prophætam extitisse, quod falsum est. Nonò per *consensum*: cum multa asseveremus esse vera, quæ falsa sunt. Decimò per *similitudinem*, cum omnis similitudo non sit necessaria.

15 Undecimò per *publicam famam*, quæ in quibusdam particularibus non est necessaria: ut cum dicitur: *omnis fæ-*

mina

mina ebria est luxuriosa. Duodecimò per *existimationem*: cum multa aliter, ac sunt, existimentur.

16 Tredecimò per *imaginationem* infectam, & persuasã nimio actu imaginandi: ut in homine zelotipo, qui tantum imaginatur uxorem suam luxuriari, quòd eam credit impudicam esse, & sic de illo, qui adeò Serpentem imaginatur, quòd credit serpentem esse morenam. Ex his autem octo Propositionibus suboriri solent deceptiones, & sophismata in disputationibus.

17 Propositionum item una *major*, alia *minor*. Major, ut *omne animal est substantia*. Minor verò, ut *omnis homo est animal*. Dicitur autem major, quia causat minorem, cum major sit antecedens, & minor consequens, in hac conclusione: ergo *omnis homo est substantia*, & major, & minor insimul materialiter causant conclusionem, & conclusio formaliter causat Præmissas, eas deducendo in formam, si- vè in essentiam Syllogismi, cum absque conclusione non possent existere in Syllogismo.

18 Præterea propositionum una *per se nota*; *dubitativa* alia. Per se nota, ut: *omne animal est substantia*. Dubitativa verò: *nunquid Petrus currit?* Secunda est materia quæstionis; prima vero solutionis ipsius.

19 Propositiones item differunt ad invicem in Syllogismo, eò quia una propositio est una ratio in ipso, & alia est alia ratio, & simul junctæ sunt una essentia ipsius Syllogismi.

20 Octo præterea modis fiunt eæ propositiones, quæ videntur habere inter se contradictionem, quam non habent. Primò per *equivocationem*, ut: *omnis canis est latrabilis*: *omnis canis non est latrabilis*, cum alia intendat canem domesticum; alia verò sydus cœleste.

21 Secundò per *mutationem subjecti in predicatum*, ut cum dicitur: *vinum prohibitum est ne bibatur*: & vinum non est prohibitum, &c. Uua intendit secundùm legem Sarraceno-  
norum,



horum, alia secundum legem Christianorum. Tertio per *Universale*, & *Particulare*, ut: oculus hominis est albus, oculus hominis non est albus; una intendit dicere *simpliciter*, alia *secundum quid*.

22 Quarto per *potentiam*, & *actum*, ut cum dicitur: *vinum inebriat. Vinum non inebriat*. Una namque intendit quando bibitur; alia vero quando est in dolio. Quinto per *relationem*: ut *Petrus est pater. Petrus non est pater*. Nam hic intelligitur adoptivè; illic vero naturaliter.

23 Sexto per *locum*: ut *Petrus est viator. Petrus non est viator*. Nam una intendit Parisios; alia vero Romam. Septimo per *statum*, ut: *Petrus scit. Petrus nescit*. Si unus intendit Grammaticam, & alius intendit Logicam. Octavo per *tempus*: ut *Petrus passus est hodie. Petrus non passus est hodie*. Si unus intelligit, quod passus fuit in Aurora; alius vero quod non fuit passus in fero.

## CAP. II.

## DE DEFINITIONE.

1 **D**efinitio est oratio, *Esse proprietatum definiti* aperiens, *rectis brevibus, ac dilucidis verbis*. Quæ multis modis fit. Primo per *quatuor species Regulae C.* ut dictum est. Deinde per *quatuor causas*, videlicet, *efficientem, formalem, materialem, & finalem*. Per *efficientem*, ut quando quæritur: *Quid est Sol?* Respondetur: *Sol est causa effectiva diei*.

2 Per *formalem*: ut si quærat: *quid est conclusio*. Et Respondendum est. *Conclusio est forma Syllogismi*.

3 Per *materialem*, sicut quærare: *quid est centrum passionis?* Respondendum est. *Centrum est materia quæ consistit in primo, & ultimo termino passionis*.

4 Per *finalem*: ut cum quæritur: *quare est Syllogismus*

*mus?* Respondendum est. Ut *per ipsum habeatur scientia.*

5 Fit etiam Definitio per *actum proprium*, & *necessarium subiecti*, sive *potentia sibi cœssentialis*: ut cum quæritur, *Quid est intellectus divinus?* Respondendum est. Intellectus divinus est *ens habens actum intelligendi*, videlicet *intelligere*. Eodem modo de caliditate, quæ est ens habens actum calefaciendi, videlicet calefacere; & homo, ridere, & essentia *Esse*; & ita de consimilibus.

## CAP. III.

## DE DEMONSTRATIONE.

1 **D**emonstratio fit tribus modis. Videlicet *per quid*, *per quia*, & *per equiparantiam*. Per quid, quando *effectus* demonstratur per suam *causam*: ut *omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C. est A.* Et dicitur demonstratio per causam, quia A. est prius B., & B. est prius C. Et iterum: *Nullum animal est lapis; omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Quæ ideo dicitur per causam, quia animal extat causa, quare homo non sit lapis. Et iterum, *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Quæ etiam dicitur demonstratio per causam, quia substantia superior est animali, & animal superius homine.

2 Demonstratio *per quia est*, quando *causa* demonstratur per suum *effectum*: quod fit duobus modis. Primò quando demonstratio est omninò necessaria: hoc modo. *In omni essentia in qua est intelligere, est intellectivum, & intellectibile; sed in essentia Dei est intelligere: ergo in essentia Dei est intellectivum, & intelligibile.* Secundò quando demonstratio non est omninò necessaria: ut *omnis effectus bonus habet bonam causam; sed Castrum est effectus bonus: ergo Castrum habet bonam causam.* Quæ demonstratio, ideo

ideo dicitur non omninò necessaria, quia *effectus*, & *causa* non sunt conjuncti per naturam, & ille, qui causa extitit, potuit habere malam intentionem, videlicet: ut ageret malum in Castro.

3 Demōstratio *per equiparantiam* fit tribus modis. Primò, quoniam plures Potentiæ per æqualitatem demonstrant causam, quam habent in existendo. Secundò, quando demonstratio fit per æqualitatem potentiæ, & per suum actum. Tertiò, quando fit per æqualitatem actuum ipsarum potentiarum.

4 Per primum sic: *Vbicumque est infinita bonitas, & infinitus intellectus, est infinita æqualitas: sed in Deo est infinita bonitas, & infinitus intellectus: ergo in Deo est infinita æqualitas.* Per secundum sic. *Omnia potentia infinita habet actum infinitum sed Deus est potentia infinita: ergo habet possificare infinitum.*

5 Per tertium sic. In omni essentia in qua est infinita bonitas, & infinitus intellectus & æqualiter, est infinite bonificare, & intelligere; sed in essentia Dei est bonitas infinita, & intellectus infinitus: ergo in essentia Dei est æqualiter, & infinite bonificare, & intelligere.

## CAP. IV.

## DE PROBATIONE.

1 **P**robatio est *Argumentum in quo veritas, est apprensens.* Et habet tres species, Prima est quando Probatio convertitur cum Syllogismo, ut quando volumus probare quòd homo sit substantia, & ponimus Probationem in *Modo, & figura*, dicendo sic. *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.*

2 Secunda est, quando una Propositio est *necessaria*, & alia *non necessaria*: ut *omnis luxuriosus est peccator*. Et dicitur sic *necessaria*, & *non necessaria*, quia fit per contingen-

tingentiam; nam non est necessarium, quod homo sit luxuriosus, cum habeat liberum arbitrium eligendi castitatem, vel luxuriam; sed cum alterum istorum eligit, videlicet luxuriam, necessarium est, quòd sit peccator.

3 Tertia est, quando Probatio fit per propositiones non necessarias, & per auctoritates, aut in *jure*, per testes. Nam talem Probationem possibile est esse veram, & non esse veram; & cum ad utrumque se possit habere, dicitur non necessaria.

## CAP. V.

## DE LOCIS.

1 **L**ocus est triplex; à *majori ad minus*: à *minori ad majus*: ab *aquali ad aequale*. Et prius de primo sic exemplificabimus. *Quidquid potest portare centum libras, potest portare, & decem; sed Socrates potest portare centum: ergo potest, & decem.*

2 Præterea: *Quidquid potest habere actum in essentia aterna, & infinita, potest habere in essentia finita, & nova; sed Deus potest habere actum in essentia aterna, & infinita: ergo potest habere actum in essentia finita, & nova.* Item quidquid potest devincere majorem exercitum potest, & minorem. Item si Deus de magno potest producere magnum: & de parvo, etiam potest producere parvum.

## CAP. VI.

## DE MINORI AD MAJVS.

1 **Q**uidquid potest dare minus potens, potest dare, & majus potens; sed miles potest dare equum: ergo, & Rex. Item: per omne illud per quod minus bonus potest agere bonum, magis bonus potest agere bonum; sed creatura potest agere bonum per suam naturam: ergo, & Deus. Præterea, si ad potentiam finitam pertinet habere actum  
fini-

finitum: ergo ad potentiam infinitam pertinet habere actum infinitum.

2. Item si potestas habet actum in alia essentia, habet, & in sua. Si àër habet actum calefaciendi in aqua: ignis habet actum calefaciendi in se. Si homo de se agit bonum: ergo, & Deus agit de se bonum. Si intellectus est potens in credendo: ergo est potens in intelligendo. Si homo aliquid magnum habet per suam naturam: ergo, & Deus multò magis per suam

## CAP. VII.

## DE ÆQUALI AD ÆQVALE.

1. **Q**uidquid potest æqualiter agere potentia infinita per intelligere, & amare in Essentia Divina, potest, & per infinitare, & æternare. Item, quidquid potest còequare potestas in intellectu Divino per existere, & agere, potest, & in se ipsa. Item, si Deus potest æqualiter esse intelligibilis, & amabilis ab homine: ergo homo æqualiter potest intelligere, & amare Deum: & si homo potest æqualiter intelligere, & amare Deum: ergo anima hominis potest habere æquales intellectum, & voluntatem.

2. Quidquid etiam in essentia ignis còequare potest calefacere, & lucere, potest, & in essentia àëris; sed Sol in essentia ignis potest còequare calefacere, & lucere: ergo, & in essentia àëris. Et iterum, si Sol potest còequare suam actionem, seu virtutem in forma, & materia ignis, potest ignis còequare suam actionem, seu virtutem in forma, & materia àëris.

## CAP. VIII.

## DE IMPOSSIBILI.

1. **I**mpossibile est *ens existens extra actum potestatis.*  
Et habet tres species. Unam per *contradictionem:*  
aliam

aliam per *defectionem* causæ ad effectum: tertiam per *perfectionem potentia*. Prima est, ut cum dicitur: *Petrus fuit, Petrus non fuit: Petrus est bonus, Petrus non est bonus*. Veritas est falsitas. falsitas est veritas, & sic de alijs, quæ ideò dicitur contradictio, quia denudat subjectum, & prædicatum ab omni convenientia, & ponit in ipsis contrarietatem simpliciter.

2 Secunda, ut cum dicitur: impossibile est avem volare sine motu, equum currere sine pedibus: ignem calefacere sine caliditate: intellectum intelligere absque actu potestatis, & huiusmodi. Tertia ut cum dicitur: impossibile est Deum facere peccatum, cum sit infinite bonus: & in Deo esse defectum, cum sit infinite bonus, magnus, æternus, &c.

## CAP. IX.

## DE POSSIBILI.

1 **P**ossibile est ens *per actum potestatis existens*. Possibile, habet duas species. Una est per causam, & occasionem aliam per actum infinitæ Potestatis. Prima est: ut igne lignum comburente, cuiusmodi combustionis causa est ipse ignis, occasio verò ille, qui igni lignem apponit. Unde talis combustio possibilis erat antequam lignum combureretur. Quæ quidem possibilitas per potentiam, & actum, contingenter existit.

2 Secunda species tantum est in Deo, qui infinitam habet potestatem, per quam agere potest in creaturis ad suum placitum, videlicet supernaturaliter, & naturaliter. Supernaturaliter: ut quando miracula agit. Naturaliter: ut quando alium hominem creat ex alio. Et ratio est, quia quidquid est creatum habet finitam potestatem, & talis possibilitas est effectus infinitæ potestatis Dei, & suæ infinitæ voluntatis.

3 In creaturis autem, quod impossibile est in uno tempore. possibile fit alio. Eodem modo de loco: ut in Socrate exemplificatur, qui intelligere in uno tempore non potest, quod in alio intelligit, & qui quando est Parisijs, impossibile est quòd fit Romæ, & tamen est ei possibile, quòd alio tempore fit Romæ, & sic de reliquis.

## CAP. X.

## DE CONSTITUTIONE SYLLOGISMI.

1 **S**yllogismus fit conjungendo dictiones Syllogif-  
 Smo còessentialia: ut sunt substantia, animal, homo, & hujusmodi: ut ex ipsis constituentur propositiones: ut *omne animal est substantia, &c.* ex quarum propositionum ad invicem conjunctione fit, & constituitur Syllogismus, ut hic: *omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia, &c.*

2 Syllogismus etiam constituitur collocando suas proprias dictiones in tribus gradibus, videlicet Genere, Specie, & Individuo, supra in Arbore significatis, distinguendo cum differentia Genus, ut habeat sub se plures Species, & Speciem, ut habeat sub se plura individua. Et hoc etiam per Differentiam, & Proprietatem.

3 Syllogismus item fit per Universalem affirmativam, & per Universalem negativam, ut *omne animal est substantia; & nullus leo est homo.* Eodem modo de Particulari àffirmativa, & negativa: ut *quidam homo est scriptor: quidam homo non est scriptor*, ut inferiùs videbitur in Figuris.

4 Syllogismus iterum fit quadrupliciter, videlicet *Integrè, Particularitèr, Inductivè, & Exemplaritèr.* Integrè, quando fit ex duabus Propositionibus, & una Conclusionè: & talis Syllogismus dicitur Integer, eò quia perfectè constat ex suis partibus. Particularitèr, quando fit ex duabus

Pro-

Propositionibus, ut *Petrus currit; ergo aliquis homo currit*, *Enthymemma*, & constat per sufficientem concordantiam, quæ, & dicitur inter subjectum, & prædicatum existit.

5 Inductivè, ut quando dicitur: *homo leo*, & sic de alijs animalibus fuerunt in *Archa Noé*: ergo omnia animalia fuerunt in *Archa Noé*. Et iste Syllogismus etiam fit per magnam convenientiam, quæ consistit inter *Antecedens*, & *Consequens*.

6 Exemplariter, quando Syllogismus fit per exemplum, ut: *sicut omni enti finito pertinet actus finitus ita, & omni enti infinito pertinet actus infinitus*. Et iste Syllogismus fit per magnam similitudinem, quæ inter unam propositionem, & aliam consistit.

## CAP. XI.

## DE COMPARATIONE SYLLOGISMI.

1 **Q**uemadmodum Grammaticus facit tres gradus comparationis in genere bonitatis, videlicet *bonus melior optimus*, ita facere potest, & Dialecticus in genere veritatis, quando componitur Syllogismus, videlicet *verus, verior, verissimus*. Verus igitur est Syllogismus, quando fit de una propositione necessaria, ut: *animal est substantia; omnis scriptor est animal: ergo omnis scriptor est substantia*.

2 Verior Syllogismus est, quando fit ex una dictione sensuali, & alia spirituali, sicut iste: *ubicumque conjunguntur corpus, & anima, ibi est homo; sed in specie humana conjunguntur ad invicem corpus, & anima: ergo in specie humana est homo*. Qui quidem Syllogismus verior est quam primus eò quia ex propositionibus necessarijs constat simpliciter primus verò, non simpliciter, sed secundum quid.

3 Verissimus tandem est, quando fit ex propositionibus simpliciter spiritualibus, ut cum dicitur. *In omni essen-*



*essentia in qua est intelligere est intellectivum, & intelligibile; sed in essentia Angeli est intelligere: ergo in essentia Angeli est intellectivum, & intelligibile.* Qui quidem Syllogismus, ideò dicitur verissimus in superlativo gradu, quia essentia spirituali plus veritatis inest, quam essentia corporali.

4 Est insuper, & alius gradus longè istis sublimior, & superexcellenter, gratiâ Divinæ essentia, in qua fit Syllogismus isto modo. *In omni essentia, in qua est Potestas infinita, est actus infinitus ipsius Potestatis, videlicet possificare; sed in essentia Dei est Potestas infinita: ergo est possificare infinitum.* Qui quidem Syllogismus id circò superexcedit tres gradus comparationis, quia de infinitis propositionibus constituitur.

5 Comparationis autem conditio est, quòd comparabilia inter se conveniant in aliquo communi, ut cum dicitur: aqua est frigidior, quàm terra. Non enim dici potest: aqua est frigidior, quam albedo, nec rosa magis rubea, quam lilium, & sic de reliquis.

## CAP. XII.

## DE CONDITIONE SYLLOGISMI.

1 **C**onditio est forma propter quam plura simul, & semel necessario existunt conditionata. Conditiones autem Syllogismi complures sunt. Prima, quòd habeat tres propositiones, ex quibus sit constitutus, & quæ veræ, necessariae, primariae, & sibi còessentiales existant: ut *omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.*

2 Secunda, quod intellectus quiescat per intelligere. Tertia, quod minor extremitas sit subjectum in conclusione, & major prædicatum. Quarta, quod aliqua Præmissarum

missarum sit affirmativa . Quinta , quod si aliqua Præmissarum sit Particularis , sit Conclusio Particularis , sed non è converso. Unde fit, quòd in Syllogismo ex puris negativis , & ex puris particularibus nil sequatur.

3 Septima , quòd in nulla figura ponatur medium in conclusione. Octava , quòd nihil superfluum aut diminutum contineat. Nona, quòd Syllogismo non negentur sua Principia necessaria , & per se nota. Modò ipsum Syllogismum deducamus per decem Regulas Generales, ut de eo major notitia habeatur, & ea, per quam Logicus sciat sophermata diluere in similitudine Syllogismi posita, & primò per primam Quæstionem isto modo.

### CAP. III.

#### DE DEDUCTIONE SILLOGISMI PER REGVLAS.

B. **V**trum unus Syllogismus sit magis necessarius, & verus quam alius? Et dicimus, quòd sic, quod his duobus Syllogismis patet. *Vbicumque est infinita Potestas, est infinitus actus Potestatis; sed in Deo est infinita Potestas: ergo in Deo est infinitus actus Potestatis.* Item, omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Ex quo liquet, primum Syllogismum esse magis necessarium, & verum quàm secundum, cum alius de infinita necessitate, alius de finita prædicetur: quod in *Regula B.* significatum est.

C1. Syllogismus quid est? Syllogismus est *argumentum ex tribus veris, & necessarijs propositionibus constitutum, ut in prima specie Regula C.* significatum est.

C2. Syllogismus quid habet in se? Syllogismus habet in se duas propositiones, & unam conclusionem sibi còessentialis ut patet per *secundam speciem Regula C. 2.*

C3. Syllogismus quid est in alio? Syllogismus in anima est conceptio,

conceptio, in ore prolatio, demonstrativè indicans veritatem, ut *in Tertia specie Regula C.* significatum est. Syllogismus quid habet in alio?

Syllogismus habet in subjecto veram, & necessariam indicantiam, per quam verum, & falsum necessariò dignoscuntur; ut *in Quarta specie Regula C.* C4.

Syllogismus de quo est? Syllogismus est de se ipso, cum sit constitutus ex suis principijs coëssentialibus, & suo proprio numero terminatus, & hoc patet *in prima specie Regula D.* D1.

Syllogismus item est ex duabus propositionibus, & una conclusione, quæ necessariò debent esse de genere necessitatis, & veritatis: ut ostendit *secunda species Regula D.* D2.

Syllogismus cujus est? Syllogismus est habitus Logicalis: ut per ipsum Dialecticus verum, & falsum invenire possit, ac indicare: ut per *Tertiam speciem Regula D.* significatur. D3.

Syllogismus quare est? Syllogismus *formaliter* est quia est compositus de suis primis principijs intrinsicis. E1.

*Finaliter* verò, ut cum ipso possit Logicus investigare verum, & falsum: ut *per Regulam E.* significatum est. E2.

Syllogismus Quantus est? Syllogismus est unus per quantitatem *continuam*, habens in se plura per *quantitates discretas* ratione differentiae suarum Propositionum. Et Syllogismi (ut dictum est) plures sunt species, videlicet, Syllogismus. Integer, Enthymema, Inductio, & Exemplum, & hoc patet *in Regula F.* F1.  
F2.

Syllogismus Qualis est? Syllogismus, unus *proprius*, alius *appropriatus*. Proprius, quando est de duabus propositionibus, & una conclusione necessariam veritatem continentibus, suo contrario existente impossibili. G1.

Appropriatus verò, quando est probativus, & non demonstrativus, de necessarijs propositionibus non constitutus, G2.

tus,

tus, & hoc patet *in Regula G.*

H. Syllogismus *Quando est?* Syllogismus quandoque est in *potentia*, quandoque est *in actu*: ut supra in Capite de Propositione dictum est, Et hoc patet *in Regula H.*

I. Syllogismus *Vbi est?* Syllogismus est in anima, & in habitu Logicali, & in pluribus libris scriptus. Syllogismus etiam est in suis partibus intrinsecis, & sibi còessentialibus: sicut totum in partibus suis, ut *per Regulam I.* significatum est.

K I. Syllogismus *Quomodo est?* Syllogismus est per modum, quem habent suæ partes in existendo, qualibet existente per se dictione; nam dictio cum dictione propositionem constituit, & propositio cum propositione Syllogismum, & hoc patet *in Regula K I.*

Syllogismus *Cum quo est?* Syllogismus est cum suis proprijs veris, & necessarijs propositionibus, ex quibus est constitutus, & est cum mente hominis, cum *Generali specie, Differentia, Proprietate, Accidente*, & ita de reliquis, sine quibus esse non potest, ut etiam patet *in Regula K 2.*

Dictum est de Syllogismo, & per hoc, quod de ipso dictum est, potest Artista sophismata diluere applicando ea ad decem Quæstiones de Syllogismo superiùs factas. Modò dicemus de tribus *Figuris* ad significandum, quomodo Syllogismus in ipsis diversimodè positus est, & figuratus.

## CAP. XIV.

### DE FIGVRIS SYLLOGISMI.

*Et primo de Prima.*

I **P**Rima Figura habet quatuor modos, & ejus conditio est, quòd illud, quod est subjectum in *Majori*, & prædicatum in *Minori*, sit *medium extremitatum*, ut *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo*

*omnis*

*omnis homo est substantia.*

2 Exemplum secundi. *Nullum animal est lapis; omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Exemplum Tertij. *Omne animal est substantia; quidam homo est animal: ergo quidam homo est substantia.* Exemplum Quarti. *Nullum animal est lapis; quidam homo est animal: ergo quidam homo non est lapis.*

## CAP. XV.

## DE SECUNDA FIGURA.

1 **S**ecunda Figura habet quatuor modos, & ejus conditio est, quòd prædicatum *Majoris*, & *Minoris* sit *medium extremitatum*, ut apparet in ipsa. Exemplum primi modi. *Nullum animal est lapis; omnis margarita est lapis: ergo nulla margarita est animal.*

2 Exemplum secundi. *Omnis margarita est lapis; nullum animal est lapis: ergo nullum animal est margarita.* Exemplum tertij. *Nullum animal est lapis; quedam margarita est lapis: ergo quedam margarita non est animal.* Exemplum quarti. *Omnis homo est animal: quidam lapis non est animal: ergo quidam lapis non est homo.*

## CAP. XVI.

## DE TERTIA FIGURA.

1 **T**ertia Figura habet sex modos, & ejus conditio est quòd id, quòd est subjectum in *Majori*, & *Minori*, sit *medium extremitatum*, ut patet. Exemplum primi modi. *Omnis homo est substantia; omnis homo est animal: ergo quoddam animal est substantia.* Exemplum secundi. *Nullus homo est lapis omnis homo est animal, ergo quoddam animal non est lapis.*

2 Exemplum tertij. *Quoddam animal est irrationale; omne animal est substantia: ergo quedam substantia est*  
irra-

*irrationalis.* Exemplum quarti. *Omne animal est substantia; quoddam animal est bipes: ergo quoddam bipes est substantia.* Exemplum quinti. *Quoddam animal non est rationale; animal est substantia: ergo quedam substantia non est rationalis.*

3 Exemplum sexti. *Nullum animal est lapis; quoddam animal est rationale: ergo quoddam rationale non est lapis.* Diximus de Syllogismo, & de his, quæ ad Syllogismum pertinent, & quamvis aliqua de novo adjecimus; multa tamen brevitatis causâ prætermisimus, quæ longa dissertatione tradita sunt ab Antiquis.

## CAP. XVII.

## DE PARALLOGISMO.

1 **P**arallogismus est *argumentum apparens: hoc est indicans esse verum, quod falsum, est & è converso.* De quo datum est exemplum ab Antiquis per tredecim fallacias, inferiùs positas, de quibus priusquam disseramus præcepta, quædam præmitteremus, quibus deceptiones ipse, & sophismata possint evitari, & his præcipuè modis, qui sequuntur.

2 Primo caveatur, nè in Syllogismo superabundet aliquid, hoc est aliqua dictio ad Syllogismum impertinens, aut aliquid desideretur, hoc est aliquid ad ipsum necessario pertinens, nè Syllogismus fiat extrà modum, & figuram, unde enasci solent sophistications.

3 Secundo *ne medium inæqualitèr se habeat inter duas extremitates, ut animal intèr substantiam, & hominem, ut cum arguitur, Omne animal est substantia; omnis homo est animal; non potest dici omne animal album, nec homo est animal, eò quia ista conclusio, omnis homo est substantia sequi non posset.*

4 Tertiò, nè termino *Majori* aut *Minori* aliquid ad-

datur

datur *superfluum*, seu detrahatur *necessarium*, ut quando dicitur *omne animal est substantia alba*; *omnis homo niger est animal*, &c.

5 Quartò, quod caveatur ab *equivocatione*, cum *equivocatio* dicat unum, & plura significet, genere inter se differentia, ut quando dicitur, *omnis canis est latrabilis*; nam alius canis est in terra comedens, sicut canis sensatus, & imaginatus, alius in Cœlo, sicut sydus cœleste non comedens, alius in Mari, sicut piscis marinus, latratione carens.

6 Quintò ab *Amphibologia*, nam sicut *equivocatio* provenit ex una dictione eadem, plura significante: sic, & *amphibologia* ex eadem oratione provenit plura significanti: ut quod est possibile per unum, fit possibile per aliud, dicendo sic: *Quodcumque possibile est esse album: possibile est ipsum esse album*. Quod non valet; nam homo albus potest esse albus, homo verò niger non potest.

7 Sextò à *Propositione absoluta*, ut cum dicitur *Petrus perdidit pecuniam*, non valet; nam alius Petrus lucratus est pecuniam.

8 Septimò à *deliberationis absentia*, ut quando dicitur; *Petrus non potest solutionem Questionis intelligere*. Non sequitur; quia si in hoc tempore non potest, poterit in alio, super ipsam deliberando. Idem sequitur, quando est iratus, quia propter iram intelligere non potest.

9 Octavò, caveatur etiam nè fiat conclusio secundum *terminos improprios*, sicut quando dicitur: *omnis homo est animal; omne animal est substantia ergo omnis homo est substantia*. Quod ideò non valet, quia substantia debet prædicari de animali, & animal de homine.

10 Nonò à *secretiori sensu propositionis*, ut cum dicitur. Quia Sol est incorruptibilis, non est generabilis, & quia non est generabilis, non est principiabilis, quod non sequitur.

sequitur. Deus enim principiari potuit Solem in creando, & ipsum conditionare, quòd sit incorruptibilis.

II Decimò caveatur à *propositione publica*, sicut in Sarracenis, qui dicunt, quòd Mahometus fuit Propheta. Et nè Propositio sit *extimativa*, sicut in exercitu tot milites in numero *pari*, vel *impari*. Et quòd non sit *similitudinaria*, sicut hypocrita dicens bona, & Sancta verba, & prava opera faciens. Et quòd non sit *possibilis in contraria parte*, ut cum dicitur *Petrus currit*, an non? Respondendum est, quòd est opinio, si currit an non.

## CAP. XVIII.

### DE FALLATIJS.

I **F**allatiæ sunt tredecim, sex *in dictione*, & septem *extra dictionem*. In dictione sunt hæ. Fallatia *equivocationis*, *amphibologia*, *compositionis*, *divisionis*, *accentus*, *Figura dictionis*. Et dicuntur in dictione, quia in dictione, & per dictionem causatur ibi deceptio.

2 Extra dictionem verò sunt hæ. Fallatia *accidentis*, *secundum quid ad simpliciter*, *ignorantia elenchi*, *petitionis principij*, *consequentis*, *non cause*, ut *cause*, *secundum plures interrogationes*, ut *unam*. Et dicuntur extra dictionem, non quia ex parte dictionis causentur, sed ex parte rei, & quia paralogismus fit de sophisticis propositionibus: paralogismorum inde materia sunt Fallatiæ.

3 Cæterum nè sophistæ coram sapientibus, & Naturalibus apparere audeant, nec stare, proponimus eosdem ipsos, qui sequuntur, paralogismos per Regulas Generales hujus Artis, solve, eorum declaratione remissa, & relata ad easdem Regulas, litteris designatas, in quibus locis statim deceptio patefiet, diluetur, evanescetque. Dicemus igitur prius de Fallatijs in dictione.

CAP.



## DE FALLATIA ÆQVIVOCATIONIS.

1 **Æ**quivocatio est *diversa significatio unius, & ejusdem dictionis*, ex eo proveniens, quòd unum nomen diversa significat: sicut canis, &c. & habet tres modos.

2 In primo sic formatur parallogismus. *Omnis canis est latrabilis; cæleste sydus est canis: ergo cæleste sydus est latrabile.* Iste parallogismus falsus est, licet verus videatur, unde parallogismus dicitur apparens Syllogismus, & ejus falsitas in hac dictione *canis* consistit, multipliciter significanti; nam alius canis est domesticus, linguam habens, & vivens in terra, & alius est vivens in aqua, latione carens, & alius in Cælo nec vivens, nec latrans. Et quia dicendo *omnis canis est latrabilis*, subjectum, & prædicatum non conveniunt, nec possunt naturaliter convenire nisi in cane domestico, ideo parallogismus non valet, & hoc *in Regula B. & G.* figuratum est.

3 Secundus modus est, quando nomen est *analogum*, hoc est *proprie*, & principaliter unum significans, & aliud *appropriaté*, & *metaphoricé*: sicut in hoc verbo *ridet*, quod principaliter significat proprium actum hominis; *metaphoricé* verò pratum florere, ubi sic formatur parallogismus. *Quidquid ridet habet os; sed pratum ridet: ergo pratum habet os.* Quod non valet, quia quidquid habet os, habet, & sensitivam, & quia pratum non habet sensitivam, non habet os, & hæc deceptio *in Regula G. & in secunda specie Regule C.* significata est.

4 Tertius modus provenit ex multipliciter *consignificatione*, quæ attenditur secundum accidentia partium orationis, veluti secundum tempus, numerum, genus, & similia, ubi sic ponitur exemplum. *Quicumque surgebat stat;*

N

sedens

*sedens surgebat* : ergo *sedens stat*. Quod non valet, cum surgere sit in fieri, sedere autem in facto esse : hoc in *Regula H.* & in *Regula I.* significari potest.

## CAP. XX.

## DE FALLATIA AMPHIBOLOGIÆ.

I **A**mphibologia est deceptio, proveniens ex eo, quòd oratio penitus eadem, plura significat. Nam sicut æquivocatio fit in eadem dictione plura significanti: sic & *Amphibologia* in eadem oratione plura quoque significanti, cujus quidem tres modi sunt.

1 Primus est quando Fallatia provenit ex eo, quòd aliqua oratio æquè principalitèr plura significat, manente eadem constructione propter diversam habitudinem constructorum, sicut hæc. *Liber Aristotelis*. Habitudo autem intelligi potest, tanquam *effectus ad causam*, vel *possessi ad possidentem*, in qua sic fit parallogismus. *Quidquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele*; sed *liber meus est liber Aristotelis*: ergo *possidetur ab Aristotele*. Quod non valet, nam liber factus est ab Aristotele in tempore præterito; in præsentì verò possessus à me; & hoc figuratur in *Regula H.* & in *Tertia specie Regula D.*

2 Secundus modus est, quando deceptio ex eo provenit, quòd *una oratio plura significat*, propter diversam partium constructionem, cum aliqua dictio construi possit transitivè, vel intransitivè, sicut hìc. *Quidquid videt aliquis, hoc videt*; sed *columnam videt aliquis*: ergo *columna videt*. Quod non valet, ut in *secunda*, & *tertia specie Regula C.* & in *Regula G.* figuratum est.

3 Tertius modus est, quando Fallatia provenit ex eo, quòd una oratio principalitèr significat unum, & aliud minus principalitèr, & relativè, sicut hæc. *Littus aratur*, quod

quod principalitèr significat littoris proscissionem; *metaphoricè* verò operis amissionem, ubi sic fit parallogismus. *Quandocumque littus aratur, terra proscinditur; sed quando indocilis docetur, littus aratur: ergo quando indocilis docetur, terra proscinditur.* Quod non valet, nam unus actus, utilitate vegetativa caret; alius verò utilitate intellectiva: quod in *Regula G. & H.* figuratum est.

## CAP. XXI.

## DE FALLATIA COMPOSITIONIS.

1 **F**allatia Compositionis est *deceptio proveniens ex potentiali multiplicitate alicujus orationis*, cujus dictiones diversimodè possunt ad invicem componi, & talis oratio non *in sensu diviso*, sed *in sensu composito* est falsa, & hujus Fallatiæ tres sunt modi.

2 Exemplum primi. *Quodcumque possibile est esse album, possibile est quod ipsum sit album; sed nigrum possibile est esse album: ergo possibile est quòd nigrum sit album.* Quòd non valet; nam quando una dictio non concordat cum alia componendo, confusè indicant objectum, sed quando diversa concordant intèr se, clarè id significant, ut in definitione *Differentia*, & *Concordantia*, & *Regulis G. H.* figuratum est.

3 Exemplum secundi modi. *Quicumque numerus, qui componitur ex duobus, & tribus est duo, & tria; sed quinque non sunt duo, nec tria: ergo quinque non componitur ex duobus, & tribus.* Quod non valet, quia quando duo, & tria componuntur, constituunt quinque, non autem quando existunt divisa: & hoc figuratum est in *Regulis F. & K.*

4 Exemplum tertij modi. *Quidquid vivit semper erit; sed iste leo vivit: ergo iste leo semper erit.* Quod non valet, quia sicut leo consistit in vivendo, ita deficit, in moriendo: ut *Regula G. H.* significant.

CAP.

DE FALLATIA DIVISIONIS.

1 **F**allatia Divisionis est *deceptio proveniens ex potentiali multiplicata alicujus orationis, cujus dictiones diversimodè possint dividi, ad invicem, quæ quidem in sensu diviso falsa est, & vera in composito, & fit tribus modis.*

2 Exemplum primi. *Quodcumque possibile est esse album, possibile est, quod ipsum sit album; sed nigrum possibile est esse album: ergo possibile est, quod nigrum sit album. Quod non valet, ut in Regula G. significatum est.*

3 Exemplum secundi. *Omne animal est rationale, vel irrationale; sed non omne animal est rationale: ergo omne animal est irrationale. Quod non valet, nam unum animal est cum intellectu, & aliud sine intellectu: ut in Regulis G., K. figuratum est.*

4 Exemplum tertij. *Quod potest unum solum ferre, potest plura ferre; sed quod solum potest ferre unum, non potest nisi unum ferre: ergo quod non potest nisi unum ferre, potest plura ferre. Quod non valet, nam potestas in multas unitates componendo dilatat, & extendit suum actum, & dividendo ipsum restringit: ut in Regula F. significatum est.*

CAP. XXIII.

DE FALLATIA ACCENTVS.

1 **F**allatia accentus est *deceptio proveniēs ex eo, quod aliqua dictio diversimodè pronuntiata, diversa significat. Et habet tres modos, secundum quod contigit dictionem tripliciter diversificari in prolatione. Primo, quando dictio variatur per diversos tonos, sive accentus, qui sunt tres acutus, gravis, circum flexus.*

2 Acu-

2 Acutus, ut in hac dictione *Martinus*, in qua sillaba media acuitur.

3 Gravis, ut in hac dictione *Dominus*, in qua corripitur sillaba media.

4 Circumflexus, ut in hac dictione *Fortuna*, in qua sillaba media elevatur, & deprimitur.

5 Et in isto primo modo, sic formatur parallogismus. *Omnis populus est arbor; sed aliqua gens est populus: ergo aliqua gens est arbor.* Quod non valet, quia hæc dictio *populus* aliud significat quando ejus prima sillaba producitur, videlicet quamdam arborem, & aliud quando corripitur, videlicet gentium multitudinem: ut in *Regula G.* significatū est.

6 Secundò quando variatur modus pronuntiandi dictionem secundum diversitatem spiritus, qui per *asperum*, & *lene*, diversificantur. Per *asperum*, ut per hanc litteram, sive aspirationem h.; per *lene* verò sine aspiratione.

7 Secundò igitur modo provenit hæc Fallatia ex eò quòd aliqua dictio asperè, vel lenitè proferri possit, ut in hoc parallogismo. *Quidquid hamatur, hamo capitur; sed vinum amatur: ergo vinum hamo capitur.* Quod non valet, nam verbum *amo* quandoque, profertur cum aspiratione, quandoque sine aspiratione: & hoc figuratur in *secunda specie Regula C.*

Tertiò, provenit ex eò, quòd aliqua dictio pronuntiari potest ut una, vel ut plures: ut hic. *Tu es, qui es; sed quies est requies: ergo tu es requies.* Quod falsum est, nam hoc nomen *quies*, quandoque profertur, sub significatione unius dictionis quandoque verò sub significatione duarum; & hoc in *Regula F.* significatum est.

## CAP. XXIV.

## DE FALLATIA FIGURÆ DITIONIS.

1 Fallatia Figuræ dictionis est Fallatia eò proveniens, quod aliqua dictio similis est alteri dictioni.

Et

Et videtur habere eundem modum significandi, cum non habeat, cujus quidem modi sunt tres.

2 Primus ex eo provenit, quòd dictio, quæ significat masculinum, capitur, ac si significaret fæmininum, aut neutrum, aut è conversò, hoc modo. *Quæcumque coloratur albedine est alba; sed Catilina coloratur albedine: ergo Catilina est alba.* Quod non est verum, cum nomen *Catilina* sit masculinum, licet cum nominibus fæmineis similitudinem habere videatur: pro ut videri potest in *Regula G.*

3 Secundus, quando dictio, quæ significat per modum unius prædicati, videtur significare per modum alterius, ut hìc. *Quidquid heri vidisti, hodie vides; sed heri vidisti album: ergo hodie vides album.* Quod non valet, cum in hac argumentatione mutetur *quid* in *quale*, quod in *Regula G.* significatum est.

4 Tertius modus fit, quando dictio, quæ significat *quale quid* videtur, significare hoc aliquid, ubi sic formatur parallogismus. *Socrates est alter ab homine; ipse autem est homo: ergo est alter à se.* Quod non valet, cum fiat transitus de homine ad Socratem, & mutetur *quale quid* in hoc aliquid, nam esse *quid* per suam essentiam existit, & non mutat suum numerum per *qualitatem*: & hoc figuratur in *Regula G.*

## CAP. XXV.

### DE FALLATIJS. EXTRA DITIONEM.

1 **F**Allatiæ extra dictionē differunt à fallatijs in dictione; primum enim motivum, sive causa apparentiæ in Fallatijs in dictione provenit ex parte vocis; in Fallatijs autem extra dictionem ex parte rei. Sicut enim in Fallatijs in dictione deceptio provenit ex eo, quòd aliquæ res, quæ conveniunt secundum vocem, accipiantur ut eadem secundum rationem: ita, & in Fallatijs extra dictionem

nem deceptio provenit ex eò , quòd aliquæ res , quæ conveniunt secundùm apparientiam accipiuntur, ut eadem secundùm existentiam.

2 Sunt autem ( ut supra diximus ) Fallatiæ extra dictionem septem, videlicet Fallatia *accidentis*, secundùm quid *ad simpliciter*, *ignorantia elenchi*, *petitionis principij*, *consequentis*, *non causa ut causa*, secundùm plures interrogationes, ut *unam*.

3 Accipiuntur autem hæ Fallatiæ secundùm quosdam naturalitèr, sicut rerum ipsarum conditiones, & habitudines. Nam entium aliud est *per se*, aliud est *per accidens*, à quibus, argumentando, Fallatia accidentis causatur.

4 Est item aliud *perfectum*, aliud *imperfectum*, undè provenit Fallatia secundum quid, ad simpliciter.

5 Item oppositum, & non oppositum, à quibus Fallatia *ignorantia elenchi*.

6 Præterea *idem*, & *diversum*, undè Fallatia petitionis principij.

7 Item *non causativum*, ut *causativum*, undè Fallatia *non causa*, ut *causa* enascitur.

8 Item *prius*, & *posterius*, undè causatur Fallatia *consequentis*.

9 Item *unum*, & *multa*, à quibus sumitur Fallatia secundùm plures interrogaciones, ut *unam*. Dicemus igitur primò de prima Fallatia extrà dictionem, quæ est Fallatia accidentis.

## CAP. XXVI.

## DE FALLATIA ACCIDENTIS.

1 **F**allatia Accidentis est deceptio ex eo proveniens, quòd aliquid significatur *simpliciter* inesse utrique eorum, quæ aliququaliter *per accidens* unum sunt, & habet tres modos.

2 Primus provenit ex eo, quòd ab accidente proceditur ad substantiam, vel è contrà, ut hic. *Cognosco coristum; sed coristus est veniens: ergo cognosco venientem.* Quod non valet, nam veniens, & coristus licet sint unum *per accidens*, non sunt unum *per se*. Unde non sequitur, quòd quodcumque sit verum de uno, sit verum de altero: ut *in Prima, & secunda specie Regula C.* figuratum est.

3 Secundus modus fit, quando illud quod convenit superiori, concluditur de inferiori, & è conversò, ut hic. *Homo est animal; sed animal est Genus: ergo homo est Genus.* Quod non valet, quia licet superius, & inferius aliquo modo sint unum *per accidens*, non tamen sunt unum simpliciter: ut *in Prima, & secunda specie Regula C.* significatum est.

4 Tertius modus est, quando proceditur *de specie ad proprium*, vel è conversò, ut hic. *Homo est risibilis; risibile est proprium: ergo homo est proprium.* Vel sic: *homo est species; sed homo est risibilis: ergo risibile est species*, quod non valet, quoniam risibile, & homo non sunt omnino idem in definitione: ut patet *in Prima specie Regula C.*

5 Est, & alius modus Fallatiæ Accidentis, qui fit per differentiam actus *naturalis*, & actus *artificialis*, ut hic. *Omnis substantia est naturalis, turris est substantia: ergo turris est naturalis.* Non valet; quia turris in quantum est ex partibus naturalibus est substantia naturalis; sed in quantum partes sunt continguae, & non mixtæ, & sunt artificialiter congregatæ, turris non est naturalis: Et hoc *in secunda specie Regularum C. D.* figuratum est.

## CAP. XXVII.

## DE FALLATIA SECUNDUM QUID AD SIMPLICITER.

1 **F**Allatia secundum quid ad simpliciter est deceptio proveniens ex eo, quod dictum *secundum quid* sumitur, ac si esset dictum *simpliciter*. Simpliciter dictum capitur hic, quod nullo addito dicitur, ut Socra-

tes



tes est albus, vel Socrates currit. *Secundum quid* verò pro eo, quòd dicitur, aliquo addito, ut *iste currit bene*. Vel *Socrates est albus dentibus*. Et id, quod additur, dicitur quòd se habet ad id, cui additur, cujus quidem Fallatiæ modi sunt quinque.

2 Primus est, quando determinatio addita habet oppositionem ad id, cui additur, ut in hac argumentatione. *Cesar est homo mortuus: ergo est homo*. Quod non valet: nam esse mortuum oppositionem habet ad hominem, ut in *Regula K. videri potest*.

3 Secundus modus fit, quando determinatio addita pertinet ad *actum animæ*, nam aliquis actus animæ potest esse circa entia, & circa non entia, ut hic. *Chimæra est animal opinabile: ergo Chimæra est animal*. Quod est falsum; nam *opinabile* additum animali diminuit de ratione ejus. Et iterum. *Cesar est in memoria hominum: ergo Cesar est*. Et iterum. *Tu habes felicitatem in tua voluntate: ergo habes felicitatem*: Quod etiam non valet, ut in *Regula C. significatum est*.

4 Tertius modus est, quando determinatio addita significat aliquid *in potentia*, ut hic. *Ovum potentialitèr est animal: ergo ovum est animal*. Quod falsum est, nam esse *in potentia* diminuit de ratione ejus quod est esse *simplicitèr*. Quod in *Regula H. figuratum est*.

5 Quartus modus est, quando determinatio addita significat *partem*, hoc modo. *Ætiops est albus dentibus: ergo Ætiops est albus*. Quod non est verum, nam esse *in parte*, diminuit de ratione ejus, quod est esse *simplicitèr*; & hoc probat *Regula F.*

6 Quintus modus est, quando determinatio addita, terminum, cui adjungitur, cogit naturalitèr ut hic. *Fur vult fumere pecuniam, quia bonum: ergo vult bonum*. Quod non procedit, ut *per Regulam G. significatum est*.

DE FALLATIA IGNORANTIÆ ELENCHI.

1 **F**allatia secundum Ignorantiam Elenchi est deceptio proveniens eò quia non observantur ea, quæ necessaria sunt ad definitionem. Est autem Elenchus Syllogismus contradictionis, qui quandoque est unus, quandoque duo. Unus quando Syllogismus concludit contradictionem alicujus propositionis prius datæ, sicut si poneretur ista. *Aliquod animal est incorruptibile, & procedatur sic. Omne compositum ex contrarijs est corruptibile; omne animal est hujusmodi: ergo omne animal est corruptibile.* Hæc siquidem conclusio contradictoria est prioris propositionis positæ.

2 Duo verò Syllogismi etiam constituunt Elenchum, ut quando ex duobus Syllogismis, *contradictoria* concluduntur, veluti, si prædicto Syllogismo addatur, & alius Syllogismus talis. *Nullum beatum est corruptibile: aliquod animal est Beatum: ergo aliquod animal non est corruptibile.*

3 De ratione igitur Elenchi est, Syllogismus, & contradictio, unde quidquid est contra definitionem Syllogismi, & contradictionis, est, & contra definitionem Elenchi. Ea verò quæ præcipuè ad definitionem Elenchi requiruntur, sunt hæc quatuor particulæ, *ad idem, secundum idem, similiter, & in eadem tempore.* Cujus quidem Fallatiæ quatuor sunt modi.

4 Primus, modus est quando argumentatio peccat **contra** particulam *ad idem*, ut hic. *Duo sunt duplum ad unum, & non sunt duplum ad tria: ergo duo sunt duplum, & non sunt duplum.* Quod est falsum, quoniam ommissio hujus, quod est *ad idem*, efficit, quod hoc non sit contradictio, ut in *secunda specie Regula C.* videri potest.

5 Secundus modus, est quando peccat contra particulam *secundum idem*, hoc modo. Hoc est duplum ad illud secundum longitudinem, & non est duplum ad illud secundum latitudinem: ergo est duplum, & non est duplum. Quod non valet, quia omittitur particula *secundum idem*, quæ requiritur ad contradictionem, ut in *Tertia specie Regula C.* significatum est.

6 Tertius modus, est quando peccat contra hanc particulam *similiter* isto modo. *Cælum movetur circularitèr*, & non movetur *sursùm*: ergo movetur, & non movetur. Quod non valet; nam per omissionem particulæ *similiter*. hic non est contradictio: ut in *Regula I.* significatum est.

7 Quartus modus, est quando peccat per particulam *in eodem tempore*, sicut hic. *Domus ista clausa est, in isto tempore*, & non in alio: ergo est clausa, & non est clausa, Quod non valet; nam diversitas temporis efficit, quod non sit contradictio; & hoc figuratur in *Regula H.*

## CAP. XXIX.

## DE FALLATIA PETITIONIS PRINCIPIJ.

1 **F**allatia petitionis principij est deceptio proveniens ex eo, quod idem assumitur ad probationem ipsius sub aliquo vocabulo, & *principium* dicitur hic principale propositum. Tunc igitur aliquis petit principium, quando petit sibi concedi principale propositum, quod debet probari, quod si sub eodem nomine petatur nulla committitur Fallatia, sed petens videtur deridendus, & hæc Fallatia fit quinque modis.

2 Primò quando definitum petitur ad probationem definitionis, vel è conversò, sicut, si debeat probari quòd homo currit, & sumatur ista: *Animal rationale, & mortale currit*: ergo homo currit. Nil probatur, quia ita dubitatur de antecedenti sicut de consequenti.

3 Secundò, quando Universalis petitur ad probationem Particularis, sicut si debeat probari, quod *omnium Contrariorum eadem est disciplina*, & assumatur ista. Omnium oppositorum eadem est disciplina: ergo omnium contrariorum. Hic Præmissa non est magis nota, quàm Conclusio.

4 Tertiò, quando petuntur omnia particularia ad probationem Universalis, sicut si debeat probari, quòd omnium oppositorum eadem est disciplina, & assumatur ista. Omnium contrariorum, & omnium privativè oppositorum eadem est disciplina: ergo, & omnium contrariorum. Hic etiam Conclusio petitur in Præmissis.

5 Quartò, quando divisim petitur quod debet probari conjunctim; sicut si debet probari, quòd Medicina est scientia sani, & ægri, & assumatur ista. Medicina est scientia sani & est scientia ægri: ergo est scientia sani, & ægri. Hic etiam petitur quod debet probari.

6 Quintò, quando petitur unum correlativorum ad probationem alterius: sicut si debeat probari, quòd Socrates fit pater Platonis, & assumantur ista. Plato est filius Socratis: ergo Socrates est pater Platonis. Hic similiter petitur, quod debet probari, sub alijs verbis. Cum autem hæ Fallatiæ sint per se notæ, non oportet ad solutionem ipsarum Regulas Artis, litteris significatas allegare, ut supra.

## CAP. XXX.

### DE FALLATIA CONSEQUENTIS.

1 **F**Allatia Consequentis est deceptio proveniens ex eo, quod Consequens extimatur omninò idem esse cum Antecedenti. Fallatia siquidem Antecedentis in uno est; Fallatia verò Consequentis in pluribus, ut patet in exemplis infra positis, cujus quidem modi sunt duo.

2 Pri-

2 Primus procedit ex Consecutione magis communis, & minus communis, sive magis commune sit Genus, sive antecedens, ut patet in his parallogismis. *Si asinus est, animal est; sed tu es animal: ergo tu es asinus.* Quod non valet, nam consequens primò positum non convertitur. Et iterum: *Si aliquid est mel est; rubeum; sed fel est rubeum: ergo fel est mel.* Præterea. *Si aliquis est fur, errat de nocte: sed tu erras de nocte: ergo tu es fur.* Omnibus autem istis locis videtur consequentia converti, & tamen non convertitur.

3 Secundus modus est quando proceditur à Consequentia propositi ad similem Consequentiam in alio opposito, ut si dicatur sic. *Si aliquid est generatum habet principium; sed anima non est generata, cum sit creata de nihilo: ergo non habet principium, sed semper fuit.* Quod est falsum; nam duplex est oppositionis consequentia, una in ipso, & altera in contrario.

4 Præterea, si est justum, est bonum: ergo si est injustum est nullum. Consequentia in contrario est, quoniam sicut ad antecedens sequitur consequens, ita ad oppositum consequentis, sequitur oppositum antecedentis: sicut, si est homo est animal: ergo si est non animal, est non homo. Prædictæ autem Fallatiæ per Regulam C. cognosci possunt.

## CAP. XXXI.

## DE FALLATIA NON CAUSÆ UT CAUSÆ.

1 **F**allatia non causæ ut causæ est, quando inter præmissas, ex quibus sequitur conclusio, aliqua superflua propositio interponitur, quæ cum nihil faciat ad conclusionem, dicitur non causa, & tamen ut causetur Fallatia, oportet quod videatur causa, & hoc fit, quando convenit cum alijs propositionibus, quæ in terminis sunt causæ, & dicitur hic causa id quod extat causa in inferendo,  
sicut

sicut Præmissæ dicuntur causa Conclusionis.

2 In qua quidem Fallatia sic formatur parallogismus. Putas ne anima, & vita sint idem? Quo dato, procedatur sic. Anima, & vita sunt idem; mors, & vita sunt contraria, generatio, & corruptio sunt contraria; sed mors est corruptio: ergo vita est generatio: ergo vivere est generare. Quod est falsum, & impossibile; nam qui vivit, non generatur: cum jam sit genitus: ergo principium fuit impossibile, videlicet, quòd anima, & vita sint idem. Mors autem, & vita non sunt contraria, sed opponuntur, sicut privatio, & habitus. Peccat igitur hæc argumentatio contra rationem causæ, & causati; & hoc cognosci potest *in Regula E.*

CAP. XXXII.

*DE FALLATIA SECUNDVM PLVRES INTERROGATIONES ut unam.*

1 **F**allatia secundum plures interrogationes, ut unam est Fallatia extra dictionem, ex eo quidem proveniens, quòd ad interrogationem, quæ est plures, datur una responsio, eò quod uno modo interroganti proponitur. Ad cuius quidem subjectum quatuor hæc concurrunt, videlicet. Enuntiatio, Interrogatio, Propositio, & Conclusio.

2 Enuntiatio quidem concurret, secundum quòd simpliciter significat aliquid esse, vel non esse. Interrogatio, secundum quòd proponitur sub dubitatione. Propositio secundum quòd sumitur ad alterius probationem. Conclusio denique, secundum quòd ex alijs infertur, & concluditur, & modi hujus Fallatiæ sunt duo.

3 Primus est, quando interrogatio est plures, eò quòd unum de pluribus in singulari proponitur, vel è converso, isto modo. Putas ne homo, & asinus sint animal rationale? Si dicatur non, procedatur sic. Homo, & asinus non sunt  
animal

animal rationale: ergo homo non est animal rationale.

4 Hæc Fallatia ex eo provenit, quòd ad interrogationem prædictam cum sint plures, non est danda una responsio, ut respondeatur simpliciter sic, vel non, sed plures sic. Homo est animal rationale, & asinus est animal irrationale, vel non est animal rationale.

5 Et iterum. Putas nè tu es homo, & asinus? Si dicatur non, concludatur: ergo tu non es homo; si verò dicatur sic, concludatur, ergo tu es asinus. Item, putas nè Ætiops sit homo albus? Si dicatur sic, concludatur ergo est albus; si dicatur non, inferatur ergo non est homo.

6 Secundus modus est, quando interrogatio est plures, eò quòd plura subjiciuntur, vel prædicantur in plurali numero, hoc modo. Putas nè mel, & fel sint dulcia? Si dicatur non, inferatur: ergo mel non est dulce. Si autem sic, concludatur, ergo fel est dulce. In omnibus igitur his locis non est danda una responsio, undè hæc Fallatia secundum multa provenit, cujus solutio in Tertia, & Quarta specie *Regula C.* significatum est.

7 Dictum est de tredecim Fallatijs, de quibus Antiqui longa distinctione tractaverunt; nunc verò de alia nova Fallatia dicere proponimus, quam id circò novam appellamus, quia novos habet figuram, & modum.

## CAP. XXXIII.

## DD FALLATIA CONTRADICTIONIS.

I **H**ÆC Fallatia ideo dicitur Contradictionis, quia videtur contradictionem concludere, cum non concludat. Ista quidem Fallatia ab octo propositionibus supradictis, quæ videntur concludere contradictionem, & ab alijs Fallatijs dependentiam habet, cujus quidem modi sunt sex.

2. Primus modus dependet à Fallatia *Æquivocationis*, in quo sic formantur parallogismi. Omnis aries est comestibilis; quidam aries non est comestibilis: ergo quidam aries est comestibilis, & non est comestibilis. Quòd non valet; nam aries comedens herbam, est comestibilis, aries verò fides cœleste non est comestibilis, & hoc patet *in Regula G.*

3. Secundus modus fit, quando concluditur idem per habitum intrinsecum, & extrinsecum, hoc modo. Nullus lapis est visibilis; quidam lapis est visibilis: ergo quidam lapis est visibilis, & non est visibilis. Quòd non valet, quia lapis de se non est visibilis, eò quòd disparatus est à potentia visiva per essentiam, & ratione Generis; sed est visibilis per potentiam visivam, quæ in suo proprio, & cœssentiali visibili caracterizat, imprimit, & figurat de novo visibilitatem lapidis, quæ visibilitas adventitia est, & peregrina in habitu intrinseco sensus; & hoc figuratur *in Regula G.*

4. Tertius modus est, quando deceptio fit per Præsentiam, & Absentiam sensus, ut quando dicitur. Omnis homo est imaginabilis; quidam homo non est imaginabilis: ergo quidam homo est imaginabilis, & non est imaginabilis. Quòd non valet; quia licet prima, & secunda propositio sint veræ, hoc tamen fit diversis respectibus, quoniam prima intendit, quòd omnes homines sunt imaginabiles in absentia visus; in præsentia verò non, sicut intelligit secunda, quia quando objectum sensibus percipitur, tunc non apprehenditur imaginatione: quòd *in Regula H.* videri potest.

5. Quartus modus fit etiam per Fallatiam *Æquivocationis*, & secundùm quid ad simpliciter, ut quando dicitur. Nullus homo est visibilis; quidam homo est visibilis: ergo quidam homo est visibilis, & non est visibilis. Quòd non valet, quia homo verus non est visibilis, sicut homo defunctus non est animal; nam sicut homo non moritur, nisi  
quan-



tum ad corpus, ita nec homo verus videtur nisi quantum ad figuram, & colorem. Homo autem depictus in pariete est positus in specie humana *aquivoce* scilicet per figuram, & colorem; non autem per essentiam, sed quia oculus attingit figuram, & colorem, talis homo dicitur visibilis, ut *in Regulis F. G.* intelligi potest.

6 Quintus modus fit per *existentiam*, & *agentiam*, sicut quando dicitur. *Omne mel est dulce; quoddam mel non est dulce: ergo quoddam mel est dulce, & non est dulce.* Quod ideò non sequitur, quia licet mel sit de se dulce, gustui tamen infirmo videtur amarum: & hoc *in Secunda, & Tertia specie Regula C.* significatum est.

7 Sextus modus est per *potentiam*, & *actum* ut quando dicitur. *Omnis intellectus est verus; quidam intellectus non est verus: ergo quidam intellectus est verus, & non verus.* Quod non sequitur; quoniam intellectus, ut potentia est, verus est, quia creatura est, & creatura est ut verum intelligat; sed quando ignorat, judicat id verum esse, quod falsum est, & falsum, quod verum est, habitu falsitatis habituatus: & hoc patet *in secunda, & tertia specie Regula C.*

8 Diximus de Fallatia Contradictionis, quæ dependet ex octo prædictis propositionibus, & ex alijs Fallatijs, & ostendimus quomodo composita est per habitum naturalem, & Logicalem, quo mediante inveniri possunt de novo, & investigari aliæ complures Fallatiæ.

## DISTINCTIO VI.

## DE APPLICATIONE.

1 **D**ividitur hæc Distinctio in duas partes. Prima est de partibus intrinsecis: Secunda de partibus extrinsecis. Prima iterum partitur in sex, videlicet in *Applicationem Arboris*, *quinque Generum*. *Decem Prædicamentorum*. *Centum Formarum*. Et in *Applicationem Syllogismi*.

Sextò, & ultimò in Applicationem Capituli de Natura.

2 Applicatio autem in hac Arte est, applicari solutionem Quæstionum ad Artis Distinctiones, juvantibus B. C. D. &c; applicatis textui ad quem solutio Quæstionis remittitur. Et sic de Applicatione istius Scientiæ ad alias Scientias. Sed hoc unum Capitulum, quod diximus, de Natura præmitendum est prius.

## CAP. I.

## DE NATURA.

**Q**uia igitur hæc Ars partim (ut in principio diximus) tractat de Natura, cujus subjectum est corpus mobile, in tota tui communitate acceptum, ideò visum fuit nobis hîc inferere unum Capitulum de Natura, & ipsum discurrere, & figurare per decem Generales Quæstiones, ut sit terminus ad quem, existente dubio de Natura, possit Artista recurrere, & in ipso, dubij solutionem reperire, & primò de prima Quæstione sic.

- B.** Utrum Natura possit esse finè actu sibi proprio? Et dicitur quod non. Quia Natura est essentia in Essè proprio naturali subsistens, in quo esse non possunt finè primis Principijs necessarijs, & sibi còessentialibus, videlicet *naturativo, naturabili, & naturare*, ut significatur per *Regulam B.*
- C1.** Natura quid est? Natura est *forma propriè, & maxime existens inter essentiam, & Esse*, ut per Naturam essentia, & Esse participare possint: ut per *primam speciem Regule C.* significatum est.
- C2.** Natura item *habet in se naturativum, naturabile, & naturare*: ut de se habitare possit in se entia, quæ de suo Genere non existunt: ut *in secunda specie Regule C.*
- C3.** Natura præterea *in alio est forma activa* sicut in subjecto in quo est, ut agens naturale per ipsam agere possit naturando. Et est potentia passiva, ut entium pere-

gri-

grinorum, quæ in ipsa existunt naturata, sit receptiva: ut per *Tertiam speciem Regula C.* ostensum est.

Natura iterum *habet in subiecto*, in quo est, suum esse, C4. & sua principia, ex quibus est, & ipsum è contra habet Naturam, in quantum de ipsa naturatum est, ut in *Quarta specie Regula C.* significatum est.

Natura *de quo est?* Natura est de se ipsa, eò quòd est D1. principium primitivum, ut entia naturalia principium primitivum habeant, à quo sint, quod ( si Natura non esset de se ipsa ) fieri non posset: ut patet in *prima specie Regula D.*

Natura item est de *naturativo, naturabili, & naturare*, D2. quæ sunt sibi còessentialia, & naturalia concreta, in quibus subsistit, nam ipsa, & suas habet operationes, ut ostendit, & figurat *secunda species Regula D.*

Natura, iterum, *est suppositi* in quo est, quod naturaliter agit de ipsa quiescendo, & movendo per existere, & agere in rebus naturalibus: ut per *Tertiam speciem Regula D.* monstratum est. D3.

Natura *Quare est?* Natura *formaliter* est, quia ex naturali forma, & materia est. *Finaliter* autem, ut per ipsam, & de ipsa sint entia naturalia, & habeant actus naturales, E1. per quos naturaliter quiescant; ut patet per *Regulam E.* E2.

Natura *Quanta est?* Natura est tanta, quanta est sua existentia, & agentia, & habet *continuam quantitatem* in subiecto in quo est. Et quia Natura de multis prædicatur, sicut de naturali videre, calefacere, & hujusmodi, diffusa est in multas *quantitates discretas*, sicut arboreitas, quæ extensa est in arborem per radices, truncum, brancas, ramos, folia, flores, & fructus, ut significatur per *Regulam F.* F1. F2.

Natura *Qualis est?* Natura est qualis secundum suas proprietates, quoniam una Natura est *propria*, & alia *appropriata*. Propria sicut Natura ignis, qui *propriam* habet Naturam G1.

turam

turam per caliditatem, & *appropriatam* per siccitatem. Similiter de visu, qui Naturam habet propriam videndi, & lapis *appropriatam* dispositionem; per quam est visibilis, & sic de reliquis habitibus proprijs, & *appropriatis*; ut per *Regulam G.* significatum est.

H. Natura *Quando est*? Natura est ens punctuale indivisibile in tempore, cum ens punctuale sit instantaneum secundum quod Natura est. Successivè verò Natura est per motum, & agere naturalitèr, ut patet *in Regula H.*

I. Natura *Vbi est*? Natura est ubi suum subjectum est existens, & agens naturalitèr, sicut in homine, in arbore, & ita de reliquis. Natura etiam est in substantijs separatis, ut in Angelo, qui naturaliter intelligit, & diligit. Natura etiam existit in Deo, sed ea dicitur Natura naturans naturam creatam, Deus tamen propriam habet Naturam, ut naturalitèr intelligat, & naturalem habeat Bonitatem infinitam, Magnitudinem, Æternitatem, Potestatem, &c. ut *in Regula I.* significatum est.

K 1. Natura *Quomodo est*? Natura ( ut dictum est ) est ens existens inter essentiam, & Esse, sicut inter humanitatem, & hominem: igneitatem, & ignem: caliditatem, & calidum: bonitatem, & bonum, &c. Unde per illum modum, per quem Natura consistit inter essentiam, & Esse, habet essentiam, & Esse, & per modum, per quem Natura est essentia, & ens naturale, est suum esse, habet modum existendi, & agendi, & modum assimilandi de se ipsa entia naturalia, ut sub ipsa sint habituata, & naturata, quod *in Regula K 1.* notatum est.

K 2. Natura *Cum quo est*? Natura est cum suis primis principijs sibi còessentialibus, videlicet *naturativo, naturabili, & naturare*, sine quibus esse non potest. Natura etiam est cum alijs principijs, sicut cum bonitate, per quam est bona, cum magnitudine per quam est magna, & cum potestate

te per quam potest existere, & agere &c. ut in *Regula K 2.* notatum est.

Dictum est de Natura, & per hoc, quod de ipsa dictum est, potest Artista dubia, quæ fiunt de Natura solvere.

## CAP. II.

## DE APPLICATIONE HVJVS SCIENTIÆ AD ALIAS.

I IN hac parte volumus dare doctrinam, quomodo sciat Artista hanc Scientiam ad alias applicare, & eam per ipsas discurrere, & primò ad Sacram Theologiam. Et cum Deus sit subjectum in Theologia, debet Artista secundum conditiones Dei, & Conditiones hujus Scientiæ, ipsam applicare ad Theologiam, investigando Conditiones Dei per Primam, & Secundam, & cæteras Distinctiones hujus Artis, & primò per primam.

## CAP. III.

## DE APPLICATIONE HVJVS SCIENTIÆ AD THEOLOGIAM per primam Distinctionem.

I DEUS est Ens substantiale, & non accidentale, cum ens substantiale possit per se existere; accidentale verò non possit. Deus est Substantia incorporea, eò quòd spiritualis est, & non corporalis, quia corpus infinitum esse non potest, nec actum habere infinitum. Deus non est Corpus, (ut dictum est) nec Animal, est tamen Ens vivum. Deus non est homo in quantum Deus; sed est homo in quantum factus est homo.

2 De Deo possunt fieri decem Quæstiones Generales, & ad ipsas responderi per illum modum, per quem de ipsis tractatum est in hac Scientia, Deo ipsi omnes perfectiones, & nullam imperfectionem attribuendo. Quod de prima Distinctione dictum sufficiat.

## CAP. IV.

DE APPLICATIONE SECUNDÆ DISTINCTIONIS AD  
*Theologiam.*

1 **D**eus non est Genus habens sub se species, sed est Ens Generalissimum cum Dignitates habet Generalissimas, sicut est sua Bonitas, quæ super omnes Bonitates creatas existit, & sua Magnitudo super omnes Magnitudines creatas, & sic de reliquis.

2 Deus non est species, eò quòd species est sub Genere, & Deus non est sub aliquo.

3 Deus habet in se distinctas personas, per essentiam non differentes; sed quia ejus Rationes habent intrinsecè proprios actus, sunt in essentia divina distinctæ Personæ, ex quibus Santissima, & Beatissima Trinitas demonstratur.

4 Deus habet proprietates sibi còessentialia. & naturales, quibus habet proprios actus, sicut bonitatem, & bonificare, magnitudinem, & magnificare, æternitatem, & æternare, & sic de reliquis. Sunt item actus Dei proprii creare, conservare, parcere, & gloriam dare.

5 Deus non est accidens ( ut dictum est ) quoniam in essentia infinita, & æterna neququam accidens esse potest. Et secundum hoc, quod dictum est de Deo, intelligi potest de Theologia affirmando, vel negando, per secundam Distinctionem hujus Artis discurrendo.

CAP. V.

DE APPELLATIONE TERTIÆ DISTINCTIONIS AD  
*Theologiam.*

1 **D**eus est *substantia*, & dicitur *substantia*, quia per se stat. Deus non habet *quantitatem*, cum sua sit *substantia infinita*. Deus non habet *qualitatem*, in quantum *qualitas est accidens*; sed habet *bonitatem qualem*,  
mag-

magnitudinem qualem, &c. & hoc substantialiter, quæ dicuntur quales per actus quales, quia per bonitatem habet bonificare quale, per magnitudinem quale magnificare, &c.

2 In Deo non est *Relatio accidentalis*, sed *substantialis*, & est necesse quod in Deo sit *Relatio*, ut *Divinæ Proprietates* possint habere actus proprios, sicut *intellectus intelligere*, *voluntas velle*, *potestas possificare*, *gloria gloriare*, &c. Nam ubicumque est *intelligere*, *amare*, &c. oportet esse *intellectivum & intelligibile*, *amativum*, & *amabile*.

3 In Deo non est *Passio*, neque *Actio* accidentales, eò quia in Deo non est *materia*; sed dici potest, quòd in Deo sit *Actio*, & *Passio* *substantialiter*, & *formaliter*, quia *Deus Pater* in producendo *Filium* de sua *substantia*, & *forma*, est *activus*; & *Filius* cum habeat *Esse* productum à *Patre* est *passivus*. Eodem modo de *activitate Patris*, & *Filij* ad *Spiritum Sanctum*, qui est ipsorum *passiva Spiratio*.

4 In Deo non est *Habitus*, cum *Deus* sit *actus purus* *infinite*, & *æternus*. Nec est in eo *Situs*, cum sit *substantia infinita*. Nec *Tempus*, cum sit *Æternitas*, licet existat in *Tempore*, sicut *causa* in suo *efectu*. Nec in Deo est *Locus*, cum sua *Substantia* sit *infinita*, quamvis ipse sit *ubique*, ut *substantia Mundi* *infinite* *Divinæ Essentiæ* non *impediat*.

5 Dictum est de *Applicatione Tertiæ Distinctionis* ad *Theologiam*, quod debet *intelligi* per *affirmationem omnium perfectionum*, & *negationem imperfectionum*.

## CAP. VI.

## DE APPLICATIONE QUARTÆ, ET QUINTÆ DISTINCTIONIS ad Theologiam.

I In Deo sunt tria supposita *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Et *Dominus Noster Jesus-Christus* est unū  
sup.

suppositum<sup>1</sup>, verus Deus, & verus homo. In Deo etiam est Bonitas, & aliquæ centum formarum, unde potest quilibet intelligens hanc scientiam, de Theologia disputare per quatuor distinctiones, servando modum in ipsa, quem nos in Capitulis de individuo, & Bonitate servavimus.

2 In Deo possunt fieri propositiones necessariae, ex quibus constituatur Syllogismus hoc modo. *Quidquid est in Deo, est infinitum; sed Potestas est in Deo: ergo Potestas est infinita.* Unde sequitur, quod hujus scientiæ peritus potest de Deo Syllogismos facere, & solvere parallogismos, servato modo, quem nos in quinta Distinctione tenuimus.

## CAP. VII.

**DE APPLICATIONE SEXTÆ DISTINCTIONIS AD  
Theologiam.**

1 **I**N Deo est Natura, & ipse est suamet Natura, & habet Naturam, & de sua Natura agere potest, & ad finem suæ Naturæ tendere, & in ipso fine quiescere, & Gloriam habere, ut supra significatum est in Capitulo de Natura. Hoc est Deus Pater est Natura, & de sua natura, producit Filium Deum, habentem suum Esse de Natura Patris, in quo videlicet Filio, Pater quiescit naturando, infiniendo, & æternando: & Pater, & Filius quiescunt in infiniendo, æternando, amando Spiritum Sanctum.

2 In Deo siquidem infinitare, & æternare sunt actus communes, & naturales in generando, & spirando, & sic de bonificare, possificare, &c. intelligere tamen est actus specificus, & naturalis, in quantum per modum generationis est personalis; sed in quantum intelligere est actus communis, sicut bonificare, & reliqua, non est actus personalis, quia si esset actus personalis, Filius intelligendo Spiritum Sanctum, ipsum generaret; & Pater, & Filius habent per amorem ad Spiritum Sanctum, actum specialem, sed hujus modi  
amare,



amare, ad Spirationem non contractum, est actus communis, sicut bonificare, & reliqua.

3 Cæterum quod de Beatissima Trinitate hîc dictum est à nobis, universalitèr dictum esse volumus in omnibus nostris libris, in quibus de Beatissima Trinitate, atque de actibus Dignitatum, aliquid locuti sumus, *ita tamen quòd totum id corrigendum summittimus Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanquam rectam Fidem veram, & Catholicam observantes: à qua humiliter postulamus, ut si minus benè aliquid dixerimus, suæ Sanctitatis auctoritati placeat benignitèr corrigere, suplere, & emmendare.*

4 Dictum est de Theologia, & data est Doctrina, per quam ista scientia ad Sacram Theologiam fit applicabilis. ( \* )

## CAP. VIII.

DE APPLICATIONE SEX DISTINCTIONVM HVJVS  
*Artis ad Philosophiam.*

1 **S**ubjectum Philosophiæ est *ens creatum*, cujus notitia desiderabilis est. Prima itaque hujus Artis Distinctio, ideò applicabilis est ad Philosophiam, quia in Philosophia agitur de *ente per se, & per aliud*, ut supra visum est in Cap. de Ente, unde secundùm quod ens per totam Arborem diffusum est, ad ipsum applicari possunt *Regule B. C. D. &c.* pro ut in Cap. de Quæstione figuratum est hoc modo; Utrum Ens sit definibile? Quid est Ens? &c; & hæc Doctrina multum est Generalis ad investigandum, & inveniendum Ens, & ea, quæ de Ente dici possunt, & sicut diximus de Ente, dicendum est de Substantia, corpore, animali, &c.

2 In secunda Distinctione dictum est de *Genere*, per

( \* ) *Est liber de Principijs Theologia in Tomo 1. Magno Arbor divinalis in Arbore scientia. Item Arts Major Prædic.*

Regulas Generales deducto. Unde fit, quod ista scientia applicabilis est ad quidquid dici potest de Genere, cum ultra Regulas B. C. D. &c. Genus prædicari non possit de aliquo. Et sic dicendum est de specie, & reliquis Cap. secundæ Distinctionis. Igitur cum Logica sit una pars Philosophiæ, data est Doctrina per quam ista scientia applicabilis est ad Philosophiam.

3 In Philosophia tractatur de *substantia corporea*, & *incorporea* ( ut dictum est, ) & de *quantitate*, *qualitate*, &c. sicut in Tertia Distinctione hujus Artis apparet. Unde fit quòd Tertia pars hujus Artis applicabilis est ad Philosophiam, eò quòd decem *Prædicamenta* existunt una particula ipsius Philosophiæ.

4 In Philosophia agitur de *Individuo*, & de *centum formis* abstractis positis in Quarta Distinctione. Unde secundum quod tractavimus de *Individuo*, & de *Bonitate* cum B. C. D. &c. potest Artista tractare Philosophiam, discurrendo, eas Formas, quas sub se continet, & eidem applicando *Regulas* B. C. D. &c.

5 In Philosophia item agitur de *Syllogismo*, & in ista scientia dictum est de Syllogismo, & de his, quæ ad ipsum pertinent, ut in Quinta Distinctione apparet. Ideo secundum quòd Syllogismum deduximus per B. C. D. &c. est hæc Distinctio ad Philosophiam applicabilis.

6 Sicut in Sexta Distinctione hujus Artis dictum est de Natura cum B. C. D. &c. ita de Philosophia dici potest, & de his quæ ad ipsam pertinent cum B. C. D. &c. Et hæc Doctrina multum est Generalis. ( \* )

## CAP. IX.

DE

( \* ) *Est liber de Principijs Philosophiæ in Tomo 1. Magno. Item de Lamentatione Philosophiæ. Item Arbor Elementalis in Arbore Scientiæ. Philosophia Desiderata.*

DE APPLICATIONE SEX DISTINCTIONVM HVJVS  
*Artis ad Moralia.*

1 **S**ubjectum Moralis scientiæ est *benè vivere per virtutes*, & *malè per vitia*. Moralitas autem est ens accidentale, & ideò quia hæc Ars tractat de Ente in communi ( ut dictum est ) applicabilis est ad moralem scientiam cum B. C. D. &c.

2 Virtus est Genus, sub se habens plures species, scilicet plures virtutes. Et peccatum est Genus habens sub se plures species videlicet plura vitia; unde applicari potest hæc scientia ad Moralia cum B. C. D. &c. secundum quòd de Genere, specie, &c. in secunda Distinctione tractavimus cum B. C. D. &c.

3 Moralis scientia non est substantia, sed ejus habitus, qui est quantus, qualis &c. Et quia Tertia Distinctio tractata est cum B. C. D. ideò applicari potest ad Moralitatem, ad quam B. C. D. sunt applicabilia.

4 Moralitas continet sub se multas formas, videlicet Justitiam, Prudentiam, & reliqua hujusmodi; avaritiam, luxuriam, & hujusmodi, ideoque, ut de Bonitate egimus cum B. C. D. potest & Artista de Quarta Distinctione agere, & ipsam applicare ad scientiam Moralem cum B. C. D. &c. Et hæc Doctrina est multum utilis, & proficua ad acquirendum virtutem, & fugiendum vitia.

5 In Quinta Distinctione diximus quomodo Syllogismus constituatur de suis proprijs principijs, & quomodo comituntur, & cognoscuntur fallatiæ. Ita secundum quod Syllogismus: ibidem deductus est per B. C. D. &c. potest etiã deduci moralis scientia per B. C. D. &c. in bono, & malo, & cognosci possunt deceptiones, quæ per vitia, aut diaboli suggestiouem perpretantur.

6 In Sexta Distinctione agitur de Natura cum B. C. D. &c. Moralitas autem non est habitus naturalis, sed artificialis

cialis peregrinus, & acquisitus; unde secundum quod dictum est de habitu naturali potest dici de Morali cum B. C. D. &c.

7 Diximus de moribus, & Doctrinam dedimus, quomodo hæc scientia cum suis Distinctionibus applicabilis est ad moralitatem; nunc verò dicemus de jure. (\*)

## CAP. X.

### DE APPLICATIONE SEX DISTINCTIONVM HVJVS *Artis ad Scientiam Juris.*

1 **S**ubjectum Juris est *reddere unicuique*, quod *suum* est. Jus autem formalitèr est Ens accidentale, & suus finis est ut substantia hominis benè, & pacificè vivat. Corpus autem Juris sunt *Canones, & Leges*, ut animal, quod est Homo regulatus sit, & ordinatus ad serviendum Deo, habens animalia bruta sibi subjecta, de quibus serviat, tam sibi, quàm suo proximo; ipsum autem Jus tractabile est cum B. C. D. &c. suo modo, sicut, & homo suo modo.

2 Jus Gentium est Genus, habens sub se plures species, sicut *Canones, & Leges*, & ipsum Genus distinguibile est per Differentiam, ut sub se plures species habere possit. Jus etiam est *proprium, & appropriatum*, sicut per *Regulam G.* significatum est. Jus item est Accidens, & tractabile cum B. C. D. &c. per omnes partes Secundæ Distinctionis, ut per ea, quæ diximus significatum est.

3 Jus non est Substantia, sed est habitus Substantiæ, in quantum Jurisconsultus, qui Substantia est, habitum habet de Scientia Juris. Et Jus est quantum, quale, & sic de reliquis Prædicamentis, ut in Tertia Distinctione per B. C. D. significatum est.

4 Jus

(\*) *Arbor moralis in Arbore scientia. Liber de virtutibus, & vitijs. Item in Arte Inventiva Tomo 5.*

4 Jus est Forma, per quam Rex, & Populus regulantur ad bonum, quod quidem bonum multis indiget Formis abstractis, ut per eas regulentur Reges, & Populi, & hoc per B. C. D. &c. in Quarta Distinctione cognoscibile est. Et sicut dictum est de Rege, & Populo, ita dici potest de Prælato, & ejus subditis.

5 In Quinta Distinctione dictum est de Syllogismo, & quod ibi dictum est, Generale est ad Scientiam Juris, & aliarum facultatum. Nam Jus ita ex propositionibus sibi còessentialibus, & necessarijs constitutum est, sicut Syllogismus ex suis: unde Syllogismus applicari potest ad Jus, & maximè cum B. C. D.

6 Jus aliud *naturale*, aliud *scriptum*, ut traditur in Scientia Juris. Jus naturale divisibile est per B. C. D. &c. Jus autem scriptum investigabile est per B. C. D. &c. Et ratio est, quia Jus scriptum est habitus extrinsecus Juris; naturale verò habitus intrinsecus, & hoc sit comparative.

7 Dictum est quòd scientia Juris applicabilis est ad ipsum Jus; unde Jus scriptum probabile est, & non demonstrabile, habens Concòrdantiam cum Jure naturali, quod habet principia naturalia, & necessaria, ex quibus Jus scriptum causatum est. (\*).

## CAP. XI.

DE APPLICATIONE SEX DISTINCTIONVM HVJVS  
*Artis ad Scientiam Medicinæ.*

1 Subjectum Medicinæ est *sanitas*, quod est ens accidentale, & ejus finis est substantia Hominis, videlicet corpus animatum vegetatum, & sensatum, quod Medicus discurrere potest per B. C. D. investigando sanitatem, & ægritudinem, ut ipsis cognitis alteram

(\*) *Est liber de principijs Juris. Alius de Arte Juris, & multa in Arte demonstrativa. Et Proverbia Juris.*

conservare possit, alteram verò curare, & hoc cum B. C. D. &c.

2 Sanitas est Genus, eò quòd sub se multas species habet, per quas Medicus diversimodè procurare potest sanitatem. Et sic de proprietate Medicinæ, eò quòd una Medicina unam habet proprietatem; alia verò aliam. Eodem modo de accidente, quod est pars subjectiva Medici, ut per ipsam sanare possit humidum nutrimentale, per cuius sanitatem, radicale humidum sanum vivere possit, ut in secunda Distinctione declaratum est per B. C. D.

3 Sanitas est forma accidentalis ( non substantialis ) habens quantitatem, qualitatem, &c. ut in Tertia Distinctionem significatum est per B. C. D. unde sequitur, quòd hæc scientia applicabilis est ad Medicinam cum B. C. D. &c.

4 Oportet, quòd Medicus sciat Formas abstractas, ad concretum applicabiles per naturam, sciatque per tale concretum sanitatem procurare Individui ægrogantis, quod extat subjectum Medico, in quo agitur de sanitate, quod facere poterit, si sciat Formas abstractas investigare, & earum concreta cum B. C. D. &c. sicut nos in Cap. Individui, & Bonitatis exemplificavimus.

5 In Quinta Distinctione datum est exemplum de Syllogismo per B. C. D. & ideò sicut Syllogismus præexigit ad Conclusionem necessarias Præmissas, sic indiget Medicus ad sanitatem necessarijs medicinis, de quibus habere potest notitiam cum B. C. D. &c.

6 Medicus debet habere cognitionem de *naturalibus*, eò quòd sanitas, absque Natura, procurari non potest, quam, videlicet Naturam, cognoscere potest Medicus cum B. C. D. &c. ut in Cap. de Natura significatum est.

7 Dictum est de Sexta Distinctione, & datus est modus, per quem hæc Scientia applicabilis est ad alias facultates.

tates. Et quemadmodum de Theologia, Philosophia, &c. dictum est, sic intelligi potest de Rethorica, & de alijs Artibus liberalibus, cum hoc quod dictum est de B. C. D. &c. nihilominus applicari potest hæc Scientia ad Artes Mæchanicas, ut ad Mercaturam, Lanificium, Nauticam, Militarem, &c. & ad modos Artium Prædicandi, Consulendi, & reliquorum hujusmodi. (\* )

SEPTIMA DISTINCTIO DE QVÆSTIONIBVS.  
& primo.

DE DIVISIONE.

**H**ÆC Distinctio in duas Partes dividitur principales, & Prima in quinque Distinctiones hujus Artis, eò quòd solutiones Quæstionum partim asinabimus Primæ Distinctioni, partim secundæ, & sic per ordinem de reliquis. Secunda Pars in tres tantum Distinctiones hujus Artis divisa est, videlicet in Primam, secundam, & Tertiam, in quibus Quæstionum solutiones implicantur, & primò dicemus de prima.

CAP. I.

QVÆTIONES PRIMÆ PARTIS, ET PRIMÆ DISTINCTIONIS.

**I**N hac igitur prima, & in alijs Distinctionibus referemus Quæstionum solutiones ad Textum hujus Artis, ubi relucebunt, & patefient his maximè, qui istam Artem fuerint edocti. Veruntamen si Textus in aliquibus locis defecerit ad Quæstionis solutionem, Artistam commonemus, ut tunc se juvet cum Regulis, sicut nos super hoc practicamus isto modo.

**I** Quæstio. Utrum Genus definiri possit? Solutio. Vade ad Primam Distinctionem Cap. de Ente, in quo solutio

signi-  
(\* ) *Liber Principiorum Medicina. Liber Ars Medicina. Liber de Regionibus Sanitatis.*

significata est, ut apparet etiam *in Regula B.*

2 Utrum decem Prædicamenta possint definiri, per aliquid superius? Sol. ibidem, & *in Regula B.*

3 Ens substantiale quod modis est considerabile. Sol. ibidem.

4 Utrum accidens, ut forma, & accidens, ut actus secundarius differant per essentiam. Et si dicatur, quòd, sic, quæro de quo sit actus secundarius? Sol. ibidem, & *in Regula D. K.*

5 Utrum accidens, quod est potentia habeat proprium subjectum, quod consistat in potentia? Sol. ibidem, & *in Regula H. I.*

6 Utrum Potentia auditiva attingat sonum, aut potentiam à qua profluit ipse sonus? Sol. ibidem, & *Regula G.*

7 Utrum Accidens proprium, & appropriatum subsistant sub uno communi accidenti generico? Sol. ibidem, & *Regula F. G.*

8 Utrum unum accidens sit causa alterius, aut occasio? Sol. ibidem *Regula G.*

9 Quæstio. Substantia quomodo fit magis definibilis? Sol. Cap. de substantia *Regula G. K.*

10 Utrum Essentia, & substantia Dei inter se convertantur? Sol. ibidem.

11 Utrum Essentia Dei, & substantia sint ita magnæ per agentiam, sicut per existentiam? Sol. ibidem *Regula B.*

12 Angelus quomodo potest attingere res inferiores, cum careat organo corporeo? Sol. ibidem *Regula K 1.*

13 Essentia Angeli quomodo cognoscitur? Sol. ibidem *Regula C. K 1.*

14 Anima quomodo est tota in qualibet parte corporis? Sol. ibidem *Regula F. K 1.*

15 Uter istorum existat primus motor corporis hominis, an Anima, an ipsum corpus? Sol. ibidem *Regula G.*



- 16 Utrum Substantia Cœli habeat per se motum naturalem? Sol. ibidem *Regula B. H.*
- 17 Quare Motus Substantiæ Cœli est instantaneus in superficie superiori, & successivus in inferiori? Sol. ibidem *Regula C. H.*
- 18 Utrum sit una forma Generalis, sicut est una Materia Generalis? Sol. ibidem *Regula D. F.*
- 19 Proprium subjectum vegetativæ in Rosa, vel leone Quid est? Sol. ibidem *Regula F.*
- 20 Utrum forma existat in subjecto, cui dat Esse? Sol. ibidem *Regula C.*
- 21 Utrum aliqua Imaginativa habeat proprium actum absque potentia ipsi inferiore? Sol. ibidem *Regula G.*
- 22 Utrum Imaginativa sit per totam substantiam Leonis diffusa? Sol. ibidem *Regula F.*
- 23 Ignis cum quo ascendit, & pluvia cum quo descendit? Sol. ibidem *Regula K2.*
- 24 Corpus de quo est plenum? Sol. Cap. de Corpore *Regula F.*
- 25 Quæ Definitio magis competit Deo? Sol. Cap. de Homine *Regula B. C.*
- 26 Intellectus cum quo est deliberativus, aut obstinatus? Sol. Cap. de Quæstione *Regula B. K2.*
- 27 Intellectus quomodo decipitur? Cap. de Quæstione *Regula B. K1.*
- 28 Definitio, idem cum definito quod modis fieri potest? Sol. Cap. de Quæstione *Regula C.*
- 29 Principium primitivum de quo est? Sol. Cap. de Quæstione *Regula D.*
- 30 Logicus, & Naturalis cum quo invenire possunt propositiones necessarias ad faciendum Syllogismum? Sol. Cap. de Quæstione *Regula E.*
- 31 Utrum unus Homo sit in potentia in alio Homine

per quantitatem continuam, aut discretam? Sol. Cap. de Quæst. Reg. F.

32 Per quem modum differunt humidum radicale, & nutritivum? Sol. Cap. de Quæst. Reg. G.

33 Utrum Tempus consistat in puncto instantaneo? Sol. Cap. de Quæst. Reg. H.

34 Utrum Homo habeat locum proprium in tempore instantaneo, & successivo? Sol. Cap. de Quæstione Regula C. G.

35 Principium primitivum generationis quomodo, si-  
vè quale est? Sol. Cap. de Quæstione Regula K 1.

36 Utrum Homo habeat, cum quo ita sit filius inten-  
sivè, & extensive sicut equus habet? Sol. Cap. de Quæstio-  
ne Regula B. C. D. E. F. G. K 2.

## CAP. II.

### QVÆSTIONES SECUNDÆ DISTINCTIONIS, ET PRI- mo de Genere.

1 **Q**uæstio Utrum sit unum Corpus Generale à  
quo Corpus animatum, & inanimatum de-  
riventur? Sol. Cap. de Genere Regula B.

2 Utrum sit aliquod Corpus carens superficie? Sol.  
ibidem Regula B. F.

3 Utrum sit unum Corpus habens lineam Diametra-  
lem continuam de Ariete usque ad libram Sol. ibidem  
Regula B. F.

4 Supposito, quòd omnia animalia essent mortua,  
Utrum habitus eorum esset in potentia in primis princi-  
pijs? Sol. ibidem Regula F. G. H.

5 Utrum Corpus, ut est Genus habeat in se partes  
còessentiales? Sol. ibidem, & in secunda specie Regula C.

6 Cum Genus non habeat superficiem, quomodo potest  
esse locatū in loco, & motum, in motu? Sol. ibidem, & in 3.

& 4.

& 4. Specie *Regula* C. & *Regula* F. H. I.

7. Utrum Genus sit principium magis nobile quam Species? Sol. ibidem *Regula* E. G.

8. Cum Genus non habeat superficiem, queritur, Utrum habeat lineas, & quantitatem? Sol. ibidem *Regula* F.

9. Utrum aliquod Genus possit esse appropriatum? Sol. ibidem *Regula* G.

10. Utrum Genus sit in tempore successivè? Sol. ibidem *Regula* H.

11. Utrum Genus, & Species possint esse invicem in eodem loco? Sol. Cap. de Genere *Regula* I.

12. Genus quomodo subalternatum existit? Sol. Cap. de Genere *Regula* K 1.

13. Utrum unum Genus differat ab alio cum Principijs Generalibus, & specialibus? Sol. ibidem & *Regula* K. 2.

## CAP. III.

## QVÆSTIONES DE SPECIE.

1. **Q**uæstio Utrum unus homo participet cum alio naturaliter per Speciem realem Sol. Cap. de Specie, & *Regula* B. Utrum.

2. Utrum sit dandum aliquod medium speciale, per quod Homo, & lapis non sint ejusdem Speciei? Sol. Cap. de Specie *Regula* B. Utrum.

3. Utrum sit dandum aliquod speciale principium, per quod participare possint per Naturam omnia animalia bruta, & rationalia? Sol. ibidem *Regula* B. Utrum.

4. Utrum in Natura sit verum hoc, per quod intellectus potest magis intelligere? Sol. ibidem *Regula* B. C. G. Utrum. Quid. Quale.

5. Utrum hoc per quod homo, & leo nequeunt esse ejusdem Speciei, sit species realis extra animam? Sol. Cap. de

de Specie *Regula* B. D. G. Utrum. De quo. Quale.

6 Utrum Species habeat principia sibi cõessentialia?  
Sol. Cap. de Specie *Regula* C. Quid.

7 Utrum Species sit principium diffusum? Et extensivũ  
Sol. ibidem, & in tertia, & quarta specie *Regula* C. Quid.

8 Utrum Species sit forma primitiva? Sol. ibidem  
*Regula* D. De quo.

9 Utrum Species sit de essentia Generis? Sol. ibidem  
*Regula* B. D. Utrum. De quo.

10 Species quomodo fit? Sol. ibidem *Regula* E. G.  
Quare. Quale.

11 Quare Socrates videns Platonem non multiplicat  
ejus Speciem imaginando, cum illam multiplicet intelli-  
gendo? Sol. Cap. de Specie *Regula* E. G. Quare Quale.

12 Utrum Species Hominis, & Leonis participant  
per quantitatem continuam? Sol. Cap. de Specie *Regula*  
F. Quantum.

13 Utrum una Species causet aliam Speciem? Sol.  
ibidem *Regula* G. Quale.

14 Utrum eadem Species possit diversimodè inexis-  
tere suo subjecto? Sol. ibidem *Regula* H. I. Quando. Ubi.

15 Utrum unum Individuum, & aliud possint adin-  
vicem ( sinè specie reali in qua sunt ) participare per Na-  
turam? Sol. ibidem *Reg.* F. H. Quartum. Quando.

16 Quando intellectus credit verum esse, quod fal-  
sum est, quæro sius habitus ubi est, per quem intelligere  
potest, verum esse quod verum est, & falsum esse quod fal-  
sum est? Sol. ibidem *Reg.* C. I. Quid. Ubi.

17 Intellectus quomodo Species multiplicat? Sol. ibi-  
dem *Reg.* K 1. Quomodo.

18 Intellectus cum quo modo multiplicat Speciem?  
Sol. ibidem *Reg.* K 2. Cum quo.

## QVÆSTIONES DE DIFFERENTIA.

- 1 QUÆstio . Utrum Differentia, quæ est inter Genus, & Speciem sit sub uno alio Genere confuso? Sol. Cap. de Differentia Reg. B. Utrum.
- 2 Utrum Differentia sit causa bonitatis, & magnitudinis. Sol. ibidem Reg. C1. Quid.
- 3 Utrum Differentia habeat partes sibi còessentialia? Sol. ibidem Reg. C2. Quid.
- 4 Utrum Differentia in subjecto in quo est, sit principium activum, & passivum? Sol. ibidem Reg. C3. Quid.
- 5 Utrum Differentia in subjecto in quo est, sit pars ejus? Sol. ibidem Reg. D. De quo.
- 6 Utrum Differentia in subjecto in quo est, sit principium instrumentale? Sol. ibidem Reg. D. De quo.
- 7 Principia Differentiæ quare sunt? Sol. ibidem Reg. E. Quare.
- 8 Utrum Differentia sit sensibilis, aut imaginabilis? Sol. ibidem Reg. F. G. Quantum. Quale.
- 9 Utrum Differentia propria, & appropriata sint ejusdem Essentiæ? Sol. ibidem Reg. G. Quale.
- 10 Differentia per quem modum se interponit inter tempus continuum, & tempus successivum? Sol. ibidem Reg. H. I. Quando. Ubi.
- 11 Differentia, quæ est inter Hominem, & equum in quo subjecto, est quod non sit de eorum Genere? Sol. ibidem Reg. F. I. Quantum. Ubi.
- 12 Utrum Differentia, & suum Esse differant? Sol. ibidem, in tertia, & quarta specie Reg. C. & K1. Quid. Quomodo.
- 13 Differentia cum quo diversificat unum subjectum ab alio? Sol. ibidem Reg. K2. Cum quo.

## QVÆSTIONES DE PROPRIETATE.

1. Q. Uæstio. Utrum proprium, per aliquam Proprietatem substantialem, possit esse substantiale? Sol. Cap. de Proprietate. *Reg. B. Utrum.*
2. Quare est Proprium animalibus, quòd omnia sint Substantia, & non Accidens? Sol. ibidem *Reg. B. G. Utrum. Quale.*
3. Potentia propriativa ubi habet actum suum proprium? Sol. ibidem *Reg. C. I. Quid. Ubi.*
4. Utrum Proprietas habeat partes sibi còessentialia, & naturales? Sol. ibidem *Reg. C. G. Quid. Quale.*
5. Utrum una Proprietas sit de alia? Sol. ibidem *Reg. D.*
6. Utrum Proprietas agat de Proprietate. Sol. ibidem *Reg. D. G. De quo. Quale.*
7. Utrum Proprietas formalis, & finalis sint ejusdem Essentiæ? Sol. ibidem *Reg. E. Quare.*
8. Utrum Proprietas habeat communem quantitatem? Sol. ibidem *Reg. F. Quantum.*
9. Utrum una Proprietas sit de Genere *possibilitatis*, & alia *impossibilitatis*? Sol. ibidem *Reg. B. G. Utrum. Quale.*
10. Utrum Aër possit esse non calidus? Sol. ibidem *Regula G. Quale.*
11. Proprietas per quem modum consistit in tempore? Sol. ibidem *Regula H. K1. Quando. Quomodo.*
12. Utrum in eadem Proprietate, in esse possent multæ Proprietates? Sol. ibidem *Regula I. Ubi.*
13. Utrum Proprietas appropriata sit forma similitudinaria, sub qua sit assimilatam? Sol. ibidem *Regula K1. Quomodo.*
14. Proprietas occasionativa *cum quo* est? Sol. ibidem *Regula K2. Cum quo.*

## CAP. VI.

## QVÆSTIONES DE ACCIDENTE.

I. Q. Uæstio.

- 1 **Q**Uæstio. Utrum *veritas*, & *falsitas* participare possint per aliquod medium eis naturale? Sol. Cap. de Accidente *Regula B.* Utrum.
- 2 Utrum Accidens habeat partes sibi còessentiales? Sol. ibidem *Regula C2.* Quid.
- 3 Utrum Accidens in sua propria essentia passionem habeat Sol. ibidem *Regula C2.* Quid.
- 4 Utrum calefacere sit de essentia caliditatis, & movere de essentia motus? Sol. ibidem *Regula D1.* De quo.
- 5 Utrum Accidens sit propter se ipsum? Sol. ibidem *Regula E.* Quare.
- 6 Utrum quantitas tantum habeat Differentiam per habitum? Sol. ibidem *Regula F.* Quantum.
- 7 Utrum Accidens sit variabile per se, aut per subjectum, in quo est? Sol. ibidem *Regula G.* Quale.
- 8 Quomodo idem Accidens instantaneum est, & successivum? Sol. ibidem *Regula H. K1.* Quando Quomodo.
- 9 Accidens *Quomodo* est in subjecto? Sol. ibidem *Regula I. K1.* Ubi. Quomodo.
- 10 Accidens *Quomodo* fluit, & refluit in subjecto? Sol. ibidem *Regula K1.* Quomodo.
- 11 Unum Accidens *Quomodo* est cum alio? Sol. ibidem *Regula K2.* Cum quo.

## CAP. VII.

QVÆSTIONES TERTIÆ DISTINCTIONIS.  
& Primò.

## DE SVBSTANTIA.

- 1 **Q**VÆstio. Utrum Substantia, & accidens differant per aliquod medium, quod ipsis sit superius? Sol. Cap. de Substantia *Reg. B.* Utrum.
- 2 Utrum aliqua Substantia corporea sit imaginabilis?

lis? Sol. ibidem *Regula* C1. Quid.

3 Substantia Quid habet in se? Sol. ibidem *Reg.* C2. Quid.

4 Utrum Substantia accidentibus denudata sit intelligibilis, cum non sit imaginabilis? Sol. ibidem *Reg.* C3. Quid.

5 Utrum in Substantia sit habitus intrinsecus, per quem habere possit actum substantiandi? Sol. ibidem *Reg.* C4. Quid.

6 Utrum Substantia habeat suum Esse in se, & in suis accidentibus? Sol. ibidem *Reg.* C4. Quid.

7 Utrum sit dabilis verior definitio de Substantia, quam ista: Substantia est ens substans? Sol. ibidem *Reg.* D. De quo.

8 Utrum accidens possit agere de Substantia? Sol. ibidem *Reg.* D. De quo.

9 Utrum Substantia sit magis ratione formæ, quam ratione finis? Sol. ibidem *Reg.* E. Quare.

10 Utrum forma, & materia in Substantia sint de essentia ipsius Substantiæ? Et si dicatur sic, quæro. Per quid differunt? Sol. ibidem *Reg.* F. G. Quantum. Quale.

11 Substantia Quomodo patitur? Sol. ibidem *Reg.* G. K1. Quale. Quomodo.

12 Substantia Quomodo est instantanea in tempore, & successiva in motu? Sol. ibidem *Reg.* H. I. K1. Quando. Ubi. Quomodo.

13 Substantia Quomodo est in se ipsa? Sol. ibidem *Reg.* I. K1. Ubi. Quomodo.

14 Utrum Substantia sine agentia existentiam habere possit? Sol. ibidem *Reg.* C. K1. Quid. Quomodo.

15 Utrum Substantia sit cum aliquo habitu intrinsecis, vel extrinsecis? Sol. ibidem *Reg.* K2. Cum quo.



## QVÆSTIONES DE QVANTITATE.

- 1 **Q**Uæstio. Utrum una Quantitas substet alteri Quantitati? Sol. Cap. de Quantitate *Regula B.* Utrum.
- 2 Utrum intellectus attingat prius Quantitatem per quantificare, quam per ejus existentiam? Sol. ibidem *Regula C.* Quid.
- 3 Utrum quantificare sit proprius actus Quantitatis? Sol. ibidem *Regula C. G.* Quid. Quale.
- 4 Utrum sinè Quantitate omnia entia forent infinita? Sol. ibidem *Regula C3.* Quid.
- 5 Utrum Quantitas magis habeat suum esse in subjec-  
to, cui inexistit, quam in se? Sol. ibidem *Regula C4.* Quid.
- 6 Utrum quantificabilitas sit essentia Quantitatis? Sol. ibidem, *Regula D.* De quo.
- 7 Causa Quantitatis naturaliter, quæ? Sol. ibidem *Regula E.* Quare.
- 8 Utrum Quantitas discreta sit de essentia Quanti-  
tatis continuæ? Sol. ibidem *Regula F.* Quantum.
- 9 Quantitas, & Qualitas per quem modum magis  
coveniant? Sol. ibidem *Regula G.* Quale.
- 10 Quantitas communis, cum non habeat ante, nec  
retrò, Quomodo existere potest in generatione, & cor-  
ruptione? Sol. ibidem *Regula G. H. K1.* Quale. Quando.  
Quomodo.
- 11 Utrum quantificare sit in Quantitate? Sol. ibidem  
*Regula I. K1.* Ubi. Quomodo.
- 12 Cum quo eadem Quantitas potest esse activa, &  
passiva? Sol. ibidem *Regula K2.* Cum quo.

## QVÆSTIONES DE QVALITATE.

- 1 **Q**Uæstio. Utrum possibilitas dicat plus, quàm dispositio? Sol. Cap. de Qualitate *Regula B. G. Utrum. Quale.*
- 2 Utrum Bonitas Dei sit ratio ita magna Deo ad agendum bonum, sicut caliditas igni ad calefaciendum? Sol. ibidem *Regula C. Quid.*
- 3 Utrum caliditas, & siccitas sint de una Generali Qualitate? Sol. ibidem *Regula D. F. De quo. Quantum.*
- 4 Utrum. Qualitas sit per existere magis magna, quàm per agere? Sol. ibidem *Regula E. Quare.*
- 5 Qualitas Quomodo est in motu? Sol. ibidem *Reg. E. F. Quare. Quantum.*
- 6 Utrum motus Coeli sit ipsi propria Qualitas? Sol. ibidem *Regula G. Quale.*
- 7 Utrum sit dabile aliquod principium, quod sit ita magnum per albedinem, sicut ignis per caliditatem? Sol. ibidem *Regula B. F. I. Utrum. Quantum. Ubi.*
- 8 Utrum ignis sit causa per quam sua Qualitas habeat passionem? Sol. ibidem *Regula K 1. Quomodo.*
- 9 Utrum in forma activa possit alia forma activa passionem habere? Sol. ibidem *Regula G. K 2. Quale. Cũ quo.*
- CAP. X.

## QVÆSTIONES DE RELATIONE.

- 1 **Q**Uæstio. Utrum in essentia intellectus, *intellectivum*, & intelligibile se habeant ad ita magnum *intelligere*, sicut in essentia ignis *calefactivum*, & calefactibile ad magnum *calefacere*? Sol. Cap. de Relatione *Regula B. Utrum.*
- 2 Utrum in Genere Relationis sit unus habitus intrinsecus, & alius extrinsecus? Sol. ibidem *Regula C 1. Quid.*
- 3 Utrum in Essentia Dei, Divina Bonitas sit ita magna  
per

per Relationem, sicut Divina Voluntas? Sol. ibidem *Regula B. D. Utrum. De quo.*

4. Utrum Divina Bonitas possit esse infinita finè infinita Relatione? Sol. ibidem *Regula B. E. Utrum Quare.*

5. Utrum Relatio sit magis magna per *continuantem* quantitatem, quàm per *discretam*? Sol. ibidem *Regula F. Quantum, & etiam in secunda specie Regula C2. Quid.*

6. Utrum Relatio, quæ est inter *intellectivum*, & *intelligibile* sit magis intensa, quàm inter *visitivum*, & *visibile*; Sol. ibidem *Regula B. G. Utrum Quale.*

7. Eo tempore, quo visus non videt, quæritur. Ubi est suus habitus videndi? Sol. ibidem *Regula G. H. Quale. Quando.*

8. Relatio, quæ est inter Patrem, & Filium Ubi est? Sol. ibidem *Regula F. I. Quantum. Ubi.*

9. Utrum inter martellum, & clavum sit Relatio? Sol. ibidem *Regula G. K1. Quale Quomodo.*

10. Utrum inter calefactivitatē ignis, & calefactibilitatem aquæ sit Relatio? Sol. ibidem *Regula G. K2. Quale. Cum quo.*

## CAP. XI.

**QVÆSTIONES DE ACTIONE, ET PASSIONE.**

1. **Q**uæstio. Utrum caliditas, & sua activitas convertantur? Solut. Cap. de Actione *Regula B. Utrum.*

2. Utrum Actio accidentalis sit possibilis in Actione Substantiali? Et è conversò? Sol. ibidem *Reg. C3. Quid.*

3. Utrum Actio, & Passio sint de aliquo Ente eis communi? Sol. ibidem *Reg. B. D. F. Utrum. De quo. Quantum.*

4. Utrum Actio accidentalis sit mota in substantiali? Sol. ibidem *Regula E. Quare.*

5. Utrum Actio accidentalis sit extensa per Actionem  
sub-

substantialem? Sol. ibidem *Regula* F. Quantum.

6 Utrum Actio appropriata sit propria Passio propriæ Actionis, sicut Passio appropriata propriæ Passionis? Sol. ibidem *Regula* . C. D. G. Quid. De quo. Quale.

7 Actio Quomodo consistit in tempore? Sol. ibidem *Regula* H. K1. Quando. Quomodo.

8 Utrum Actio sit in Passione? Sol. ibidem *Reg.* I. Ubi.

9 Eadem Actio Quomodo habet multos actus agendi? Sol. ibidem *Reg.* K1. Quomodo.

10 Utrum una Actio sit cum alia? Sol. ibidem *Reg.* K2. Cum quo.

11 Dictum est de Actione; sed cum Actio, & Passio mutuò se referant, ea quæ dicta sunt de Actione, intelligantur è contrariò de Passione.

## CAP. XII.

### QVÆSTIONES DE HABITU.

1 **Q**Uæstio. Utrum in Rosa Habitus vegetativæ, moveat Habitus Elementativæ ad elementandū? Sol. Cap. de Habitu *Reg.* B. G. Utrum. Quale.

2 Utrum gignens in suo naturali Habitu gignat Habitus genitum? Sol. ibidem *Reg.* C. Quid.

3 Utrum Habitus accidentalis sit de Habitu substantiali? Sol. ibidem *Reg.* D. G. De quo. Quale.

4 Utrum Habitus formalis sit causa Habitus finalis? Sol. ibidem *Reg.* B. E. G. Utrum. Quare. Quale.

5 Habitus Quomodo positus est in quantitate? Sol. ibidem *Reg.* F. G. Quantum. Quale.

6 Utrum intelligibilitas intellectus sit Habitus intelligibilitatis lapidis? Sol. ibidem *Reg.* G. Quale.

7 Supposito, quòd nulla esset substantia elementata, quæro, Utrum esset Habitus elementationis? Sol. ibidem *Reg.* F. G. H. I. Quantum. Quale. Quando. Ubi.

8 Utrum Habitus extrinsecus Habitu intrinseco insit, & è conversò? Sol. ibidem *Reg. C. G. I. Quid. Quale. Ubi.*

9 Habitus extrinsecus Quomodo inest Habitu intrinseco? Sol. ibidem *Regula F. K 1. Quantum. Quomodo.*

## CAP. XIII.

## QVÆSTIONES DE SITU.

1 QUÆstio. Utrum linea sit corpus? Sol. Cap. de Situ *Regula B. Utrum.*

2 Situs substantialis qualis est relativè? Sol. ibidem, & secunda specie *Regula F. D. Quale. De quo.*

3 Situs motus de quo est? Sol. ibidem *Reg. D. De quo.*

4 Utrum substantia sine Situ possit attingi per imaginationem? Sol. ibidem *Regula E. Quare.*

5 Utrum Situs habeat partes continuas, & discretas? Sol. ibidem *Regula F. Quantum.*

6 Utrum in generatione, Situs sit genitus in situatione propria, vel apropiata Sol. ibidem *Reg. G. Quale.*

7 Situs Quomodo est in tempore præterito, præsentis, & futuro? Sol. ibidem *Reg. F. H. K 1. Quantum. Quando. Quomodo.*

8 Mobile, & movere, vel motus Quomodo sunt situati in motu? Sol. ibidem *Reg. H. K 1. Quando. Quomodo.*

9 Linea Quomodo situata est in subjecto? Sol. ibidem *Regula I. K 1. Ubi. Quomodo.*

10 Rosa cum quo assituata est? Sol. ibidem *Regula K 2. Cum quo.*

## CAP. XIV.

## QVÆSTIONES DE TEMPORE.

1 CUM Tempus sit indivisibile, Quomodo motus per ipsum potest mensurari? Sol. Cap. de Tempore *Reg. B. Utrum.*

2 Utrum

- 2 Utrum Tempus sit mobile per motum? Sol. ibidem *Regula C. Quid.*
- 3 Utrum Tempus sit sinè motu? Sol. ibidem *Regula D. De quo.*
- 4 Utrum Tempus sit magis propter existere, quàm proptèr agere? Sol. ibidem *Regula E. Quare.*
- 5 Utrum Tempus sit multiplicabile? Sol. ibidem *Reg. F. Quantum.*
- 6 Utrum motus sit habitus multiplicandi Tempus? Sol. ibidem *Reg. G. Quale.*
- 7 Utrum Tempus sit habitus motús? Sol. ibidem *Regula. H. Quando.*
- 8 Quomodo Tempus multiplicatur ex pluribus instantibus? Sol. ibidem *Reg. K1. Quomodo.*
- 9 Tempus cum quo disponit multiplicationem caliditatis ignis? Sol. ibidem *Reg. K2. Cum quo.*

## CAP. XV.

## QVÆSTIONES DE LOCO.

- 1 Locus Quomodo est Genus? Sol. Cap. de Loco *Reg. B. Utrum.*
- 2 Utrum Locus sit habitus locantis, & locati? Sol. ibidem *Reg. C. K1. Quid. Quomodo.*
- 3 Utrum locans, & locatum participant naturaliter cum Loco? Sol. ibidem *Reg. C. Quid.*
- 4 Utrum Locus, seu superficies, & Locus locati sint ejusdem essentiæ? Sol. ibidem *Reg. D. De quo.*
- 5 Utrum Locus sit forma mota ad suum finem? Sol. ibidem *Reg. E. Quare.*
- 6 Utrum Locus sit habitus quantitatis, & è conuerso? Sol. ibidem *Reg. F. Quantum.*
- 7 Utrum motus sit in Loco? Sol. ibidem *Reg. G. Quale.*
- 8 Utrum unus motus sit motus in alio? Sol. ibidem *Re-*

*Regula F. H. Quantum Quomodo.*

9 Utrum Locus ut Genus est, sit in Loco? Sol. ibidem *Reg. F. I. Quantum Ubi.*

10 Utrum Locus sit inseparabilis à suo subjecto? Sol. ibidem *Reg. K. 1. Quomodo.*

11 Utrum Locus super superficiem existat? Sol. ibidem *Reg. F. G. K. 2. Cum quo.*

CAP. XVI.

## QVÆSTIONES QUARTÆ DISTINCTIONIS, & Primò.

### DE INDIVIDVO.

1 **I**N hac Distinctione intendimus procedere per decem Quæstiones in primo, & secundo Capitulo, & in alijs sequentibus dupliciter. Primò faciendo Quæstiones, quæ per definitiones istius Distinctionis solvantur. Secundò faciendo Quæstiones, quæ solvantur per declarationem definitionum. Et primò de Individuo.

2 Utrum Individuũ, & Genus sint reales extremitates speciei? Sol. Cap. de Individuo *Reg. B. F. Utrum Quãtum.*

3 Utrum Individuum sit divisum? Sol. ibidem *Regula C. Quid.*

4 Utrum numerus Individui sit inseparabilis à suo subjecto? Sol. ibidem *Regula D. De quo.*

5 Prima Principia Individuorum quæ sunt? Sol. ibidem *Regula C. E. Quid. Quare.*

6 Utrum in Individuo sit quantitas de quantitate? Sol. ibidem *Regula F. Quantum.*

7 Numerus Individui à quo est? Sol. ibidem *Regula G. Quale.*

8 Utrum totum Individuum sit in potentia, ante quàm sit in actu? Sol. ibidem *Regula H. Quando.*

9 Utrum

9 Utrum Socrates sit animal in se ipso? Sol. ibidem  
*Regula I. Ubi.*

10 Utrum una pars Individui sit antequam alia? Sol.  
ibidem *Regula H. G. Quando Quale.*

11 Utrum Leo sit tantum causatus à sole, quantum  
à suis primis parentibus? Sol. ibidem *Regula D. G. K1.*  
De quo. Quale. Quomodo.

## CAP. XVII.

## QVÆSTIONES DE BONITATE, ET RELIQVIS

*Formis.*

1 **Q**uæstio. Utrum substantia plus habeat Esse Bo-  
nitatis, quam accidens? Sol. Cap. de Bonitate  
*Regula B. Utrum.*

2 Utrum essentia Bonitatis, per suam agentiam sit  
mala? Sol. ibidem *Regula C. Quid.*

3 Utrum aliquod ens possit esse bonum sinè actu Bo-  
nitatis? Sol. ibidem *Regula D. De quo.*

4 Utrum in Bonitate sit una Forma aut plures? Sol.  
ibidem *Regula E. Quare.*

5 Utrum substantia habeat majorem quantitatem,  
quam qualitatem? Sol. ibidem *Regula F. Quantum.*

6 Utrum actus Bonitatis Dei sit inseparabilis? Sol.  
ibidem *Regula G. Quale.*

7 Bonitas increata, & immensa Quomodo est in Bo-  
nitate finita, & creata? Sol. ibidem *Regula H. I. K1.*  
Quando Ubi. Quomodo.

8 Per quem modum Bonitas perfectè consistit in suo  
subjecto? Sol. ibidem *Regula I. K1. Ubi. Quomodo.*

9 Quomodo una Bonitas causat aliam Bonitatem?  
Sol. ibidem *Regula K1. Quomodo.*

10 Utrum Bonitas posset esse sinè actu Potestatis,  
atque Potestas bona sinè actu Bonitatis? Sol. ibidem *Re-*



*gula* K2. Cum quo.

11 Magnitudo Quid est? Et Utrum magnum possit esse finè actu Magnitudinis? Sol. 3. Forma de Magnitudine.

12 Duratio Quid est? Et Unum durare, & magnificare differant in creaturis? Sol. Forma 4.

13 Potestas Quid est? Et Utrum Potestas posset esse finè agentia? Sol. Forma 5.

14 Sapientia Quid est? Et supposito quòd intellectus non esset, Utrum entia forent intelligibilia? Sol. Forma 6.

15 Quid es voluntas, & appetitus? Utrum entia forent appetibilia, supposito quod voluntas non esset? Sol. For. 7.

16 Virtus Quid est? Et Utrum Bonitas, & Magnitudo finè Virtute sint jungibiles, & Magnitudo cum malitia? Sol. Forma 8.

17 Veritas Quid est? Et Utrum Falsitas habeat actū? Sol. Forma 9. *Regula* B.

18 Gloria Quid est? Et Utrum in Inferno sit aliqua requies? Sol. Forma 10. *Regula* K1. E. Quomodo Quare.

19 Quid est Concordantia? Et Utrum elementa essentialiter, & præsentialiter sint in elementato? Sol. For. 11.

20 Contrarietas Quid est? Et Homo bonus cum quo distat à malo? Sol. Forma 12.

21 Principium Quid est? Et Utrum Principium possit esse finè principiari? Sol. Forma 13.

22 Medium Quid est? Et Utrum Principium, & Finis in aliquo ente communi participant? Sol. Forma 14.

23 Finis Quid est? Et Utrum magna Bonitas quiescere possit finè magno bonificare? Sol. Forma 15.

24 Majoritas Quid est? Et Utrum essentia sit major per existere, & per agere, quàm per existere tantum? Sol. Forma 16.

25 Æqualitas Quid est, & Cum quo existit magis bona, magna, &c. Sol. For. 17. & secunda specie *Reg.* C.

26 Minoritas Quid est? Et Utrum intèr Minoritatem, & non esse, sit dandum aliquod Medium? Sol. For. 18.

27 Essentia Quid est? Et Utrum Esse sit concretum Essentiæ? Sol. For. 19.

28 Natura Quid est? Et Utrum naturans, naturatum, & naturare sint de essentia Naturæ? Sol. For. 20. & Cap. de Natura, 6. Distinct.

29 Forma Quid est? Et Utrum Forma possit esse finè actu? Sol. Forma 21.

30 Materia Quid est? Et, Utrum Materia possit esse finè Forma? Sol. Forma 22.

31 Immobilitas Quid est? Et Utrum motus sit habitus de ente immobili? Sol. Forma 23.

32 Mobilitas Quid est? Et Utrum motus sit causa mobilitatis, & è conversò, finè aliquo medio ipsis communi? Sol. Forma 24.

33 Motus Quid est? Et motivum Ubi movet mobile Primò? Sol. Forma 25.

34 Dubitatio Quid est? Et Intellectus Ubi est confusus quando non intelligit, & se intelligere credit? Sol. For. 26.

35 Affirmatio Quid est? Et Utrum Affirmatio plus dicat, quam negatio? Sol. Forma 27.

36 Negatio Quid est? Et Utrum Negatio magis conveniat cum non esse, quam cum esse? Sol. Forma 28. & tertia specie *Regula C3*. Quid.

37 Memoria Quid est? Et Utrum Memoria sit de essentia intellectus. Sol. Forma 29.

38 Intentio Quid est? Et Ubi, & à quo fit? Sol. For. 30. & *Regula K*. Cum quo.

39 Generatio Quid est? Et Quomodo fit? Sol. For. 31.

40 Corruptio Quid est? Et Utrum ens magis distet à Corruptione per existere, & agere, quàm per existere tantum? Sol. Forma 32.

41 Privatio Quid est? Et Utrum sit dabile medium inter esse, & non esse? Sol. Forma 33. & tertia specie *Regula C3. Quid.*

42 Opinio Quid est? Et Quare magis participat cum affirmatione, quàm cum negatione? Sol. Forma 34. & *Regula K2. Cum quo.*

43 Suspicio Quid est? Et, Quare est cum ira? Sol. Forma 35. *Regula K2. Cum quo.*

44 Conditio Quid est? Et, Utrum antecedens, & consequens sint materia Conditionis? Sol. Forma 36. *Regula K1. Quomodo.*

45 Antecedens Quid est? Et, Quare est? Sol. Forma 37. *Regula C. E. Quid. Quare.*

46 Consequens Quid est? Et Quare est? Sol. For. 38. *Regula C. E. Quid. Quare.*

47 Derivatio Quid est? Et Quare est? Sol. Forma 39. *Regula C. E. Quid. Quare.*

48 Influentia Quid est? Et de quo est? Sol. For. 40. *Secunda specie Reg. C. D. Quid. De quo.*

49 Refluentia Quid est? Et à quo est? Sol. For. 41. *Tertia Specie Regula C. D. Quid. De quo.*

50 Abstractio Quid est? Et Utrum concretum sit Esse Abstractionis? Sol. Forma 42. *Regula C. Quid.*

51 Concretum Quid est? Et Quid est subjectum abstractionis? Sol. Forma 43. *Regula D. De quo.*

52 Causa Quid est? Et Utrum Causa possit esse sine effectu? Sol. Forma 44. *Regula D. De quo.*

53 Effectus Quid est? Et Quare magis extat circa nihil, quam circa suam causam? Sol. For. 45. *Reg. E. Quare.*

54 Occasio Quid est? Et Utrum Occasio, & contingencia sint idem? Sol. Forma 46. *Regula G. Quale.*

55 Simplex Quid est? Et Utrum aliquod simplex possit habere simplicem agentiam. Sol. Forma 47. *Secunda*

specie

specie *Regula* C. G. K2. Quid Quale. Cum quo.

56 Compositum Quid est? Et Utrum proprius numerus sit à pluribus, aut ab uno? Sol. Forma 48. Secunda specie *Regula* C. G. Quid Quantum.

57 Intensitas Quid est? Et Utrum Intensitas dicat plus, quàm extensitas? Sol. Forma 49. Secunda Specie *Regula* C. F. G. B. Quid. Quantum. Quale. Utrum.

58 Existentia Quid est? Et Existentia, & agentia in quo Genere, sivè specie participant? Sol. For. 50. Sec. specie *Regula* C. F. K1. Quid. Quare. Quomodo.

59 Agentia Quid est? Et Utrum Bonitas, finè Agentia posset esse magna? Sol. Forma 51. *Regula* B. Utrum.

60 Figura Quid est? Et Utrum Figura sit habitus substantiæ? Sol. For. 52. *Reg.* G. K1. Quale. Quomodo.

61 Necessitas Quid est? Et Quid est habitus Necessitatis? Sol. For. 53. *Reg.* E. G. Quare. Quale.

62 Contingentia Quid est? Et Quid est ejus habitus? Sol. For. 54. *Reg.* G. Quale.

63 Fortuna Quid est? Et quæ sunt ejus principia? Sol. For. 55. *Regula* G. Quale.

64 Dispositio Quid est? Et motus Quomodo consistit inter potentiam, & actum? Sol. For. 56. *Reg.* H. Quando.

65 Subtilitas Quid est? Et Utrum habitus magnus intellectus magis consistit per naturam, quàm per Scientiam, & practicam? Sol. For. 57. *Reg.* F. G. Quantum. Quale.

66 Plenum Quid est? Et quæ sunt prima principia, ex quibus Locus est Plenus? Sol. For. 58. *Reg.* F. H. I. K. Quantum. Quando. Ubi. Quomodo.

67 Vacuum Quid est? Et Utrum Vacuum possit cum ente participare? Sol. For. 59. *Reg.* K2. Cum quo.

68 Potentia Quid est? Et Quid est Genus Potentiæ? Sol. Forma 60. *Regula* G. Quale.

69 Objectum Quid est? Et Quid est habitus potentiæ? Sol.

- Sol. For. 61. Secunda, & tertia specie *Regula C.* Quid.
- 70 Actus secundarius Quid est? Et Utrum inter potentiam, & actum sit dare medium? Sol. Forma 62. & quarta specie *Regula C4.* Quid.
- 71 Umbra Quid est? Et color noctis de quo est? Sol. Forma 63. *Regula D. K2.* De quo. Cum quo.
- 72 Subjectum Quid est? Et Utrum Subjectum se habere possit ad unum, seu ad plura? Sol. For. 64. *Reg. F.* Quantum.
- 73 Prædicatum Quid est? Et Quare plura magis conveniunt cum Prædicato, quàm cum subjecto? Sol. For. 65. *Regula F. G.* Quantum. Quale.
- 74 Significatio Quid est? Et secretum Quomodo attingi potest? Sol. For. 66. *Reg. C. K1.* Quid. Quomodo.
- 75 Attractio Quid est? Et Quomodo intellectus attrahit ad se Scientiam? Sol. For. 67. *Regula G.* Quale.
- 76 Impræssio Quid est? Et Utrum habeat potentiam propriam, & Generalem Impræssionem, quæ sit de sua essentia? Sol. For. 68. secunda specie *Reg. C K1.* Quid. Quomodo.
- 77 Similitudo Quid est? Et Quid est medium per quod assimilans, & assimilatum participant? Sol. For. 69. & 2. & 4. specie *Regula C. K1.* Quid. Quomodo.
- 78 Numerus Quid est? Et ex quo est? Sol. For. 70. & 2. specie *Regula C. F.* Quid. Quantum.
- 79 Elementativa Quid est? Et Quare elementum simplex convertitur in elementatum? Sol. Forma 71. *Regula G. K1.* Quale. Quomodo.
- 80 Potentia vegetativa Quid est? Et Utrum in Homine Elementativa, & Vegetativa sint de uno Genere? Sol. Forma 72. *Reg. B. G.* Utrum. Quale.
- 81 Sensitiva Quid est? Et Utrum potentia Sensitiva, & Vegetativa consistant sub uno Genere? Sol. Forma 73.

*Regula* F. Quantum.

82 Potentia Imaginativa Quid est? Et Utrum Sensitiva impediatur actum Imaginativæ? Sol. Forma 74. *Reg.* H. Quando.

83 Potentia Rationativa Quid est? Et Corpus Hominis Quare est de specie humana? Sol. Forma 75. *Reg.* G. Quale.

84 Obstinatio Quid est? Et in disputatione, quæ principia ligant intellectum? Sol. For. 76. *Reg.* K 1. Quomodo.

85 Contradictio Quid est? Et Quomodo est? Sol. For. 77. *Reg.* C. K 1. Quid. Quomodo.

86 Capacitas Quid est? Et Quid est habitus impossibilitatis? Sol. For. 78. & 3. specie *Reg.* C 3. Quid.

87 Quid est Proportio? Et Utrum Proportio sit habitus Justitiæ, & è converso Sol. For. 79. & 4. specie *Regula* C 4. Quid.

88 Circumstantia Quid est? Et quæ sunt illa, quæ per habitum conveniunt? Sol. For. 80. *Reg.* C. G. Quid. Quale.

89 Suppositio Quid est? Quale est primum principium, per quod intellectus incipit intelligere? Sol. Forma 81. & *Regula* C. H. Quid. Quando.

90 Punctus Quid est? Et Centrum indivisibilitatis Quid est? Sol. For. 82. & 3. specie *Reg.* C. Quid.

91 Linea Quid est? Et Utrum Linea habeat plura principia? Sol. Forma 83. *Regula* F. Quantum.

92 Humidum radicale Quid est? Et Utrum generatio insit Humido radicali, vel nutrimentali? Sol. Forma 84. *Reg.* G. Quale.

93 Humidum nutrimentale Quid est? Et Utrum Humidum radicale sit indivisibile? Sol. For. 85. *Regula* G. Quale.

94 Alteratio Quid est? & Utrum Alteratio fiat in uno instanti? Sol. For. 86. *Reg.* G. H. Quale. Quando.

95 Confusio Quid est? Et de quo est principium motus? Sol. For. 87. *Reg.* H. Quando.

96 Augmentatio Quid est? Et Utrum Augmentatio humidi radicalis sit intensivè, & nutrimentalis extensivè? Sol. For. 88. *Reg.* F. G. K. Quantum. Quale. Cum quo.

97 Consumatio Quid est? Et Utrum in Consumatione sit transmutatio? Sol. For. 89. *Reg.* G. Quale.

98 Successio Quid est? Et transmutatio? Sol. Forma 90. *Regula* G. Quale.

99 Mors Quid est? Et ultimus motus naturæ in quo est? Sol. For. 91. *Regula* H. Quando.

100 Secretum Quid est? Et Quid est habitus ignorantia? Sol. For. 92. *Regula* C. Quid.

101 Ordo Quid est? Et Principium, Medium, & Finis in quo conveniunt? Sol. Forma 93. *Regula* F. Quantum.

102 Continuitas Quid est? Et de Quo est? Sol. Forma 94. *Reg.* D. F. De quo. Quantum.

103 Divisio Quid est? Et Quando non est? Et ejus habitus Ubi est? Sol. For. 95 *Reg.* C. I. Quid. Ubi.

104 Cogitatio Quid est? Et Anima Cum Quo movet potentias inferiores? Sol. For. 96. *Reg.* K2. Cum quo.

105 Audacia Quid est? Et Quare est? Sol. For. 97. *Reg.* C. E. Quid. Quare.

106 Artificium Quid est? Et Quare est? Sol. Forma 98. *Reg.* C. E. Quid. Quare.

107 Quid es Scientia? Et Quale est objectum proprium Intellectus? Sol. Forma 99. *Reg.* G. & 2. species *Reg.* C2. Quid. Quale.

108 Applicatio Quid est? Et Qualis est habitus Applicationis? Sol. For. 100. *Reg.* C. G. Quid. Quale.

## CAP. XVIII.

## QVÆSTIONES QVINTÆ DISTINCTIONIS.

1 Quid

- 1 Quid est Propositio necessaria? Sol. Capite de Propositione 2. specie *Regula C.* Quid.
- 2 Quæ Propositio est clara, & quæ confusa? Sol. ibidem, & *Regula G.* Quale.
- 3 Quare prima Propositio in Syllogismo dicitur major, & secunda minor? Sol. ibidem, & *Regula E.* Quare.
- 4 Quæ Propositio est materia in Syllogismo, & quæ Propositio est forma? Sol. ibidem, & *Regula E.* Quare.
- 5 Utrum præmissæ quiescant in conclusione, vel è conversò? Sol. ibidem, & *Regula E.* Quare.
- 6 Verus Syllogismus Quomodo est similitudo Beatissimæ Trinitatis? Sol. ibidem, & *Regula K 1.* & 2. specie *Regula C 2.* Quomodo. Quid.
- 7 Subjectum, & Prædicatum Quare non convertuntur in Universali affirmativa, cum convertantur in Universali negativa? Sol. ibidem *Regula C. G.* Quid. Quale.
- 8 Definitio quot modis fieri potest? Sol. Cap. de Definitione, & 2. specie *Reg. C.* & *Reg. B.* Utrum.
- 9 Utrum ista Definitio sit multum necessaria? Homo est Esse essentia humanitatis, & intellectus Esse intelligentia. Sol. ibidem, & 2. specie *Regula C.*
- 10 Demonstratio quot modis fieri potest? Sol. Cap. de Demonstratione *Regula C. E. G.* Quid. Quare. Quale.
- 11 Quomodo fit responsio de Loco ad Locum? Sol. Cap. de Loco *Regula I.* & 2. spec. *Reg. C 2.* Ubi. Quid.
- 12 Probatio Quomodo fieri potest? Sol. Cap. de Probatione *Reg. K 1.* Quomodo.
- 13 Impossibile, quot species habet? Sol. Cap. de Impossibili *Reg. B. C. F.* & sic dici potest de Possibilitate.
- 14 Syllogismus in quo gradu altior existit? Sol. Cap. de Comparatione, *Reg. B. C.* Utrum. Quid.
- 15 Conditio Cum quo potest esse? Sol. Cap. de Conditioe *Regula B. C. D. E. G. K.*



16 Quæ sunt Conditiones Syllogismi? Sol. ibidem  
*Regula G. Quale.*

17 Quare Homo est substantia? Sol. Cap. de Syllog.  
& 2. *Reg. C2. Quid.*

18 Syllogismus quot modis trahitur ad Quæstionem?  
Sol. Cap. de Syllog. *Reg. F. Quale.*

19 Qui Syllogismus extat magis necessarius? Sol. Cap.  
Syllog. *Reg. B. Utrum.*

20 Utrum possint esse plures Fallatiæ, quàm tredecim?  
Sol. Cap. de Parallogismo *Reg. B. H. K1. Utrum.*  
*Quando Quomodo.*

## CAP. XIX.

QUÆSTIONES SEXTÆ DISTINCTIONIS,  
& Primò.

## QUÆSTIONES NATURÆ.

1 **Q**uæstio. Utrum corpus Rosæ, & substantia  
Rosæ habeant unam eandem Naturam? Sol.  
Cap. de Natura, & 2. *spec. Reg. C2. Quid.*

2 Utrum essentia, & Esse possint existere absque Na-  
tura? Sol. ibidem *Reg. B. & 2. spec. Reg. C2. Utrum.*  
*Quid.*

3 Naturans Ubi naturat naturatum? Sol. ibidem, &  
2. & 3. *spec. Reg. C2. C3. Quid.*

4 Utrum Natura sit potentia passiva? Sol. ibidem  
*Reg. C. Quid.*

5 Utrum Natura habeat naturatum, quod sit de sua  
essentia? Sol. ibidem *Reg. C. Quid.*

6 Utrum Natura Accidentis sit de Natura Substantiæ?  
Sol. ibidem *Reg. D. K1. De quo. Quomodo.*

7 Utrum appetitus Naturæ sit de essentia Naturæ?  
Sol. ibidem *Regula E. G. Quare. Quale.*

- 8 Utrum actus Naturæ continuam habeat quantitatem? Sol. Cap. de Natura *Reg. F. K 2.* Quantũ. Cũ quo.
- 9 Utrum qualitates ignis existant habituatae sub uno habitu naturali? Sol. Cap. ibidem *Regula G. & 2.* specie *Regula C 2.* Quale Quid.
- 10 Utrum Natura sit divisibilis? Sol. ibidem *Regula H. F.* Quando. Quantum.
- 11 Utrum Natura accidentis sic se habeat ad Naturam substantiæ, sicut accidens ad substantiam? Sol. ibidem *Reg. I. K 1.* Ubi. Quomodo.
- 12 Quomodo Natura est existens inter substantiam, & accidens? Sol. ibidem *Reg. K 1. & 2.* spec. *Reg. C 2.* Quomodo. Quid.
- 13 Natura cum quibus principijs extat generabilis? Sol. ibidem *Reg. K 2. & 2.* spec. *Reg. C 2.* Cum quo. Quid.

## CAP. XX.

## QVÆSTIONES THEOLOGIÆ.

- 1 **Q**uæstio. Utrum Deus possit esse corpus? Sol. Cap. de Theologia *Reg. B. & 2.* spec. *Reg. C 2.* Utrum. Quid.
- 2 Utrum Deus sit ens Generalissimum? Sol. ibidem. *Reg. B. & 2.* specie *Reg. C 2.* Utrum. Quid.
- 3 Utrum Divina Bonitas ita sit Generalis, sicut Divina Voluntas? Sol. ibidem, & 2. spec. *Reg. C 2.* Quid.
- 4 Utrum in Deo sit aliqua Distinctio? Sol. ibidem.
- 5 Utrum in Deo sit una Distinctio an plures? Sol. ibidem.
- 6 Utrum in Deo sit una Generalis Proprietas, propter quam suæ Dignitates habeant proprios actus? Sol. ibidem *Reg. G. & 2.* spec. *Reg. C 2.* Quale. Quid.
- 7 Utrum in Deo sit accidens? Sol. ibidem *Reg. K 1. & 2.*

- & 2. specie *Reg. C1.* Cum quo. Quid.
- 8 Utrum Deus sit substantia? Sol. ibidem *Reg. E.* & 2. spec. *Reg. C2.* Quare. Quid.
- 9 Quantitas Quare non potest esse in Deo? Sol. ibidem *Regula K1.* & 2. specie *Reg. C2.* Quomodo. Quid.
- 10 Per quem modum fieri possunt de Deo propositiones necessariae? Sol. ibidem *Regula K1.* & 2. specie *Regula C2.* Quomodo. Quid.
- 11 Utrum Deus habeat Naturam existendo, & agendo? Sol. ibidem *Regula E.* & 2. specie *Regula C2.* Quare. Quid.

## CAP. XXI.

## QVÆSTIONES PHILOSOPHIÆ.

- 1 **S**ubjectum Philosophiæ Quid est? Sol. Cap. de Phylosophia *Regula C.*
- 2 Ista Scientia Quomodo applicabilis est ad Philosophiam? Sol. ibidem *Regula K1.*
- 3 Subjectum Scientiæ Moralis Quid est? Sol. Cap. de Moralitate *Regula D. K.*
- 4 Utrum Virtus sit Genus? Sol. ibidem *Regula B.*
- 5 Utrum peccatum sit ens reale? Sol. per 3. Distinctionem.
- 6 Utrum Differentia, quæ est inter peccatum, & peccatum sit ens reale? Sol. Cap. de Differentia in 2. Distinctione, & *Regula C.*
- 7 Quomodo Virtus est similitudo Syllogismi? Sol. Cap. de Syllogismo, & 2. specie *Regula C.*
- 8 Utrum peccatum sit necessarium? Sol. Cap. de Natura, & *Regula E.*
- 9 Utrum Moralitas sit naturalis? Sol. Cap. de Natura, & de Habitu, & *Regula B.*

## CAP. XXII.

QVÆS-

- 1 Subjectum Juris Quid est? Sol. Cap. de Jure, & *Regula* C. E.
- 2 Quid est finis Juris? Sol. ibidem, & *Reg.* E. G.
- 3 Arbor hujus Scientiæ per quem modum est applicabilis ad Scientiam Juris Sol. ibidem, & *Reg.* C. G. K.
- 4 Utrum Jus sit Scientia cum ista Scientia? Sol. ibidem *Regula* B. C. D. &c.
- 5 Quæ sunt Principia Generalia Juris? Sol. ibidem *Regula*, & Cap. de Genere *Regula* B. C. D. &c.
- 6 Subjectum Juris Cum quo est Generale? Sol. ibidem, & Cap. de Genere *Regula* B. C. D. &c.
- 7 Jurisconsultus per quem modum de Jure Generali sciet descendere ad speciale? Sol. ibidem, & Cap. de Gen. & de specie *Regula* B. C. D. &c.
- 8 Jurisconsultus Quomodo scit per istam Scientiam unum alteri applicare? Sol. ibidem 6. Distinc. *Regula* B. C. D. &c.
- 9 Quid est Jus Generale, & Speciale? Sol. Cap. de Genere, & specie *Regula* G.
- 10 Unum Jus Quomodo distinctum est ab alio? Sol. ibidem Cap. de Differ. *Regula* C. G. H.
- 11 Quod Jus est proprium, & quod appropriatum? Sol. Cap. de Propriet. *Regula* G.
- 12 Jus Quomodo est habitus? Sol. ibidem Cap. de Habitu *Regula* G. H.
- 13 Jus Quomodo asituatum est; Sol. ibidem Cap. de Situ *Regula* F. G. K.
- 14 Jus Quomodo agit, & patitur? Sol. Cap. de Actione *Regula*.
- 15 Jus Quomodo asituatum est in tempore, & loco? Sol. ibidem *Regula* G.
- 16 Jus Quantum est in Genere, & Quantum in specie

cie? Sol. ibidem.

17 Utrum Jus sit regula Civitatis, & Ecclesiæ? Sol. ibidem Cap. de Habitu, & de situ *Regula C.*

18 Utrum Jus Civitatis sit Generale, & Jus Principijs speciale? Sol. ibidem Cap. de Genere, & de specie *Regula G.*

19 Formæ, & materia Juris quæ sunt? Sol. ibidem, Cap. Subst. & Accid. *Regula B. C. D. &c.*

20 Quomodo propositiones necessariæ per istam Scientiam sunt applicabiles ad Scientiam Juris. Sol. ibidem 5. & 6. *Distinct. Regula B. C. D. &c.*

21 Deceptio Juris Quomodo fit? Sol. ibidem Cap. de Parallog. *Regula B. C. D. &c.*

22 Quis habitus in Jure est intrinsecus, & quis extrinsecus. Sol. ibidem Cap. de Habitu *Reg B. C. D. &c.*

23 Jus Naturale, & Positivum in quo differunt? Sol. ibidem Cap. de Differ. *Regula G.*

24 Jus Canonicum, & Civile in quo conveniunt? Sol. ibidem *Regula G.*

25 Utrum Jus Nutritivum sit materia Juris Naturalis? Sol. ibidem Cap. de Natura *Regula G.*

26 Utrum Jus Naturale sit subjectum Intellectus, & Scriptum Memoriam? Sol. ibidem *Regula G.*

27 Quæ sunt Principia ex quibus causatum est Jus? Sol. ibidem *Regula B. C. D. &c.*

28 Diximus de Quæstionibus Juris, & servato ordine supradicto fieri possunt solutiones aliarum peregrinarum Quæstionum cum Principijs, & Regulis hujus Artis.

CAP. XXIII.

### QVÆSTIONES MEDICINÆ.

1 **S**ubjectum Medicinæ Quid est? Sol. Cap. de *Medicina Regula C.*

2 Utrum

2 Utrum Medicina sit multiplicativa cum ista Scientia? Sol. ibidem *Reg.* B. C. D. &c.

3 Medicina Quomodo Generalis existit ad sanitatem? Sol. ibidem *Reg.* B. C. D. &c.

4 Medicus Cum Quo scit descendere à Generali ad Speciale? Sol. ibidem *Reg.* B. C. D. &c.

5 Utrum detur medium inter sanitatem, & ægritudinem? Sol. ibidem *Reg.* F.

6 Quomodo Medicus sciet per istam Scientiam distinguere inter sanitatem, & ægritudinem? Sol. ibidem *Cap.* de Differ. *Reg.* B. C. D. &c.

7 Accidens Quomodo est habitus infirmitatis? Sol. ibidem *Cap.* de Natura, & habitu *Reg.* K 1.

8 Sanitas Quid est? Et Quid habet Sanitas; Sol. ibidem, & 3. *Distinct.* *Regula* C. & *Cap.* de Natura.

9 Medicus Quomodo scit cognoscere subjectum infirmitatis in infirmo? Sol. ibidem *Cap.* de Individuo *Regula* K 1.

10 Medicus per quem modum scit applicare Principia naturalia ad infirmitatem subjecti? Sol. ibidem, & 4. 5. & 6. *Distinct.* & *Cap.* de Genere.

11 Dictum est de Quæstionibus Medicinæ, & quod dictum est hîc intelligi potest in alijs Quæstionibus peregrinis.

## CAP. XXIV.

### QUÆSTIONES SECUNDÆ PARTIS PRINCIPALIS.

I **I**N hac Secunda Parte non intendimus servare modum quem tenuimus, in prima, videlicet, quòd solutiones Quæstionum ad Textum Artis remittamus. Sed faciemus Quæstiones, non sicut in Prima Parte applicando Principia Universalia ad particularia, sed è conversò particularia ad Universalia, & eorum solutiones

tiones constabunt in hoc, quod de ipsis in 1. 2. 3. Distinct. dictum est sinè applicatione ad aliquem singularem Locum in Textu. Et primo sic.

2 Utrum accidens sit de Esse Substantiæ, aut de Esse corporis, quod compositum est ex sua substantia, & ex suis accidentibus? Sol. hujus Quæstionis diffusa est, & implicita in Nodis, & Floribus Arboris, & in *Regula C. D.*

3 Utrum Corpus Hominis sit ens magis Generale, quàm ejus substantia? Sol. Cap. de Genere, & specie, & *Regula C.*

4 Utrum accidens quod est in substantia incorporea sit de ejus essentia? Sol. Cap. de substantia Differentia Accidens, & *Regula C.*

5 Utrum aliquod accidens sit corpus? Sol. Cap. de Subst. Accid. Differ. & Proprie, & *Reg. C. G.*

6 Utrum accidens possit esse animatum, & inanimatum? Sol. Cap. de substantia Accid. Habitu, & Situ, & *Regula B. C.*

7 Utrum intèr corpus Hominis, & ejus substantiam, sit Differentia? Sol. Cap. de subst. Hominis & de Differ.

8 Utrum Homo in animali sit individuum, & animal in corpore sit corpus, & corpus in substantia sit substantia, & substantia in ente sit ens, & ens inconsideratum, & innominatum sit species? Sol. harum Quæstionum in Arbore figuratur.

9 Utrum Homo in animali habeat suum esse, & animal in corpore, corpus in substantia substantiam in ente, & ens in inconsiderato, & innominato? Sol. in Arbore figuratur.

10 Homo Quantus est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & in innominato? Sol. quoque figuratur in Arbore,

11 Homo de quo est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, & in inconsiderato,

rato,

rato, & innominato? Sol. significatur in Arbore.

12 Homo Quare est in animali animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & innominato? Sol. significatur in Arbore.

13 Homo Qualis est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & innominato? Sol. in Arbore significatur.

14 Homo Quando est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & innominato? Sol. implicatur in Arbore.

15 Homo in quo loco est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, in innominato? Sol. in Arbore figuratur.

16 Homo Quomodo est animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & innominato? Sol. figuratur in Arbore.

17 Homo Cum Quo est in animali, animal in corpore, corpus in substantia, substantia in ente, ens in inconsiderato, & in innominato? Sol. in Arbore significatur.

## CAP. XXV.

### QVÆSTIONES SECVNDÆ DISTINCTIONIS SECVNDÆ da Partis Principalis.

1 Qvæstio. Accidens Quid est in proprietate, Proprietas in Differentia, Differentia in Specie, species in Genere? Sol. hujus Quæstionis cum sequentibus implicata est in secunda Distinctione.

2 Accidens Quare est in proprietate, Proprietas in Differentia, Differentia in Specie, & species in Genere?

3 Accidens Quantum est in proprietate, proprietas in Differentia, Differentia in Specie, & species in Genere?



- |   |                   |  |
|---|-------------------|--|
| 4 | Accidens Quale    | est in proprietate, proprietas<br>in Differentia, Differentia,<br>in Specie, & Species in Ge-<br>nere? |
| 5 | Accidens Quando   |  |
| 6 | Accidens Ubi      |  |
| 7 | Accidens Quomodo  |  |
| 8 | Accidens Cum. Quo |  |

## CAP. XXVI.

**QVÆSTIONES TERTIÆ DISTINCTIONIS SECUNDÆ**  
*Partis Principalis.*

- |   |   |  |
|---|---|--|
| 1 | <b>L</b> ocus Quid  | est in tempore? tempus in situ?  |
| 2 | <b>L</b> ocus de Quo  | Situs in habitu? Habitus in pas-<br>sione? Passio in actione? Actio in   |
| 3 | Locus Quare   | relatione? Relatio in qualitate?   |
| 4 | Locus Quantus   | Qualitas? in quantitate? Quan-<br>titas in substantia? Sol. harum<br>Quæstionum implicata est in<br>Tertia Distinctione. |
| 5 | Locus Quale   |  |
| 6 | Locus Quando  |  |
| 7 | Locus Quomodo   |  |
| 8 | Locus Cum Quo   |  |
| 9 | Hæc igitur est Generalis Doctrina, & modus appli-<br>candi specialia ad sua Universalia interrogando, & respon-<br>dendo per decem Generales Regulas Arboris. Qui quidem<br>quæstionandi modus, licet hanc Artem ignorantibus per-<br>difficilis videatur, scientibus tamen ipsam prævius, & fa-<br>cilis est propter Regulas Generales ipsius Artis, scilicet B.<br>C. D. &c. per quas Intellectus fit multum altus, & Uni-<br>versalis. |  |

## CAP. XXVII.

**DE MODO INVENIENDI MEDIA AD FORMAN-**  
*dum Syllogismos, & Parallogismos per Regulas, &*  
*earum Species.*

- 1 **P**er decem Regulas Generales, & earum species  
habetur notitia, & modus inveniendi media ad

solvendum Quæstiones, & formandum Syllogismos, itidem, & Parallogismos, ut in *Reg. C.* practicatur hoc modo. Quidquid est definibile est intelligibile; sed Deus est definibilis: Ergo Deus est intelligibilis. Iste Syllogismus formatus est per primam Speciem *Reg. C1.*

2 Item omne illud, quod habet in se principia sibi consubstantialia est substantia; sed anima habet in se principia consubstantialia: ergo anima est substantia. Hic Syllogismus fit per secundam Speciem *Regula C2.*

3 Item quidquid est aliquid in alio est aliquid in se ipso; sed accidens est aliquid in alio: ergo accidens est aliquid in se ipso, & fit hæc argumentatio in tertia specie *Regula. C3.*

4 Item Omne id, quod habet aliquid in alio, habet aliquid in se ipso; sed Homo habet aliquid in alio: ergo habet aliquid in se ipso. Et formatur hic Syllogismus per Quartam Speciem *Reg. C4.* & sic de alijs Regulis suo modo.

5 Idem intelligi potest de formandis, & diluendis Parallogismis, maxime per Decimam quartam Fallatiam, quã supra appellavimus *novam* pluribus specierum significationibus ad unam applicatis isto modo, Nullum ens est id, quod habet, quoddam autem ens est id, quod habet: ergo quoddam ens est id, quod habet, & non id quod habet. Falsum est; nam Deus Pater habet Deum Filium, & est ipse Deus; & hoc per primam 2. 3. 4. speciem *Regula C.* significatur.

6 Item omnis Filius est de se ipso; sed tu es Filius: ergo tu es Filius de te ipso. Quod falsum est; nam prima 2. & 3. species *Regula D.* in qua fit iste parallogismus, eandem significationem non habent, eò quia sunt diversa.

7 Item Omnis Homo, qui propter partes sibi cõessentiales est, propter se ipsum est; sed tu es ejusmodi: ergo tu es propter te ipsum. Quod falsum est; nam 1. & 2. species

Re-

*Regula E.* cum inter se sint diversæ, non habent eandem significationem.

8 Iterum. Omne ens, quod habet quantitatem, est quantum; sed quoddam ens habet quantitatem, & non est quantum: ergo quoddam ens est quantum, & non quantum. Quod non valet; nam Deus non habet quantitatem, ut significatum est per primam speciem *Regula C.* sed habet quantitatem, ut patet per tertiam speciem *Regula C.* & *Reg. D.*

9 Item Ubicumque est proprietas ibi est accidens; sed in quodam ente est proprietas, & non est accidens: ergo in quodam ente est accidens, & non accidens. Quod non valet; nam in Deo est proprietas, accidens autem nullo modo. Ut in 1. & 2. specie *Regula C.* figuratum est.

10 Item. Omne ens, quod est in tempore, est in aliquo; sed quoddam ens est in tempore, & non est in aliquo: ergo quoddam ens est in aliquo, & non est in aliquo. Quod non valet; nam Deus in aliquo est sine tempore; ut per secundam speciem *Regula C.* patet, & est in tempore, sicut causa in effectu; ut per 3. speciem *Regula C.* & *D.* significatur.

11 Item. Omne illud quod est continens, continet contentum sed aliquid est continens, quod non continet contentum: ergo quoddam ens est continens, & non est continens. Quod non valet; nam Deus Filius est continens Mundum, & non est continens Deum Patrem; & hoc figuratum est in 2. specie *Reg. C.* & in 3. *Reg. D.*

12 Item omnis forma habet modum producendi; quædam autem forma non habet modum producendi: ergo quædam forma habet modum, & non habet modum producendi. Quod non valet; nam Deus Pater habet modum producendi Filium, & Spiritus Sanctus non habet modum producendi Deum Patrem, nec Deum Filium; ut in


2. spec.


2. spec. *Reg. C.* significatum est.

13 Denique. Omne illud est indigens, quod agit cum instrumento; sed aliquod ens agit cum instrumento, & non est indigens: ergo quoddam ens est indigens, & non indigens. Quod non valet; nam Deus agit cum instrumento in causando hunc effectum, sive creaturam cum illa, scilicet Socratem cum Sole, & posset (si vellet) causare sine Sole, ut per 1. & 3. speciem *Reg. C.* significatum est.

Ad Dei Laudem, & Gloriam finivit Raymundus Lullus hunc Librum in Civitate Janua in mense Mayo. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu-Christi M.CCC.III.

Iste Liber fuit impræssus Valentia per Georgium Costilla, & sumptibus Alphonsi de Proaza Asturiencis anno salutis M.D.XIJ.





# LOGICALIA

PARVA ILLUMINATI DOCTORIS, ET MARTYRIS Beati Raymundi Lulli Tertij Ordinis Sancti Francisci, & Lullianæ Vniversitatis Majoricensis Tutelaris Patroni, & Mæcenatis.

## *PAX TYRONIBVS IN DIALECTICA.*




RAYMUNDUS, in eo Libro, quem de expugnatione Terræ Sanctæ composuit, viginti Artes speciales, præter alios codices innumeros, ex Arte quadam Generali sibi divinitus infusâ duxisse se, ac posteris reliquisse commemorat.

Inter illas speciales Artes Logica Nova numeratur, quam Alphonsus à Proaza, vir litteris, ac virtute conspicuus, Valentix impressit. Quæ, unde Logicus suæ Artis Principia traxerit, ostendens, aliquantulum habet naturalis Philosophiæ, Metaphysicæ plurimum. Et quia Novitijs in Logica difficilis illa videbatur, hanc Raymundus secundum Antiquos exhibuit. Ut quemadmodum in omni digna Christiano viro Doctrina, ita in Logicali facultate tum sufficientia, tum necessaria largiretur. Hujus opusculi grata brevi-

tas, Logicorum nostræ tempestatis gravem prolixitatem non imitatur. Quorum Labyrinthos casus, & argutiolas Divum Augustinum, Bòetium, Aristotelem, cæterosque illius antiquæ majestatis Authores docuisse non legimus, sed nè quidem scire voluisse credendum est. Parva est hæc Logica, non tamen Parva introductio. Exigua nimium fortasse illis videbitur, quia affectant terminos, quibus non est terminus, vel eas Logicas corpulentissimas, quæ totam miseri discantis ætatem exigentes semestri vacatione memoriam fugiunt. Nemo autem sinistrorsum interpretetur, me Logicæ stúdiū, ejusque dignissimos laude sectatorès carpere. Abusum potiùs, superfluitatem, & charissimi temporis jacturam doleo. Hac igitur introductione habita, si majora ejusdem Artis robora desideras, Novam Logicam (quæ sic appellatur) Doctoris hujus, & Jacobi Fabri Stapulencis scripta passim utilissima perspicias; Verùm noli, obtestor, vel quantacumque Logicâ solâ fenescere. Quippe, cum ea ipsa modus sciendi, & merum instrumentum sit, quantum ad altiores musas est necessaria, tantum per sese jejuna nimis, & infructuosa probata est. Tu autem, ò Homo Dei, Logicalia pro necessitate consecutus, ad Philosophiam, & Theologiam, quibus humana vita perficitur, accelera. Vale, amice in  
 Domino Jesu-Christo.



DYA-



# DYALECTICÆ

INTRODUCTIONES ILLUMINATI DOCTORIS,  
& Martyris Beati Raymundi Lulli Tertij Ordinis  
Sancti Francisci.



Ratiâ , & illustratione Divina pullulat Arbor Scientitiæ Logicalis . Cujus fructus est verum, & falsum cognoscere, & unum ab altero discernere.

Logica est *Ars*, & *Scientia*, cum qua verum, & falsum ratiocinando cognoscuntur, & unum ab altero discernitur, verum eligendo, & falsum

*dimittendo*. Cujus Principia specifica sunt tria: scilicet *Terminus*, *Propositio*, & *Argumentatio*.

CAP. I.

## DE RADICIBVS ARBORIS DE TERMINO.

**1** **T**erminus est *dictio significativa*, ex qua *propositio constituitur*. Est autem Terminus in propositione subjectum, prædicatum, vel pars eorum, copula, vel signum. Primò dividitur Terminus in Terminum Cathagorematicum, & Syncathagorematicum.

**2** Cathagorematicus, est qui *significativè*, & *proprie* sumptus potest esse subjectum, vel prædicatum, vel pars eorum in propositione, ut *Bonitas est magna: Bonitas Pe-*

*tri*

4 tri est in magnitudine ipsius. Terminus Cathagorematicus dividitur in communem, & singularem.

3 Communis est ille, qui ex unica sui impositione est aptus de pluribus prædicari: ut *Bonitas de Bonitate Dei: Angeli*. Homo de Raymundo, Nicolao, &c. Communis dividitur in *univocum, equivocum, & denominativum*.

4 Univocus est qui prædicatur de pluribus sub uno nomine, & eadem ratione definitionis, sicut Bonitas, Magnitudo, Substantia Corpus, de suis inferioribus.

5 Æquivocus est, qui prædicatur de multis sub uno nomine, & diversa ratione definitionis sicut Canis, Taurus, Aries, &c.

6 Denominativus seu connotativus est, qui significat subjectum connotando aliquam qualitatem ipsi inhærentem, ut bonus, magnus, causa, Pater, Rex.

7 Singularis, vel discretius est, qui ex unica sui impositione de uno solo prædicari potest. Ut sunt termini significantes individua specierum, sicut Petrus. Tam terminus communis quàm singularis dividitur in abstractum, & concretum.

8 Abstractus terminus est, qui significat essentiam vel proprietatem, non ut sunt in subjecto, sicut humanitas, risibilitas, petreitas, hæcceitas.

9 Concretus est qui significat substantiam, vel subjectum, sicut homo, Petrus, risibile, ignis. Terminus Cathagorematicus in propositione modo est subjectum, modo prædicatum ideoque dicendum est quid sit subjectum, quid prædicatum.

10 Subjectum est terminus ante copulam verbalem positus, de quo dicitur affirmativè, vel negativè terminus post copulam positus, & rectus à parte post secundum Grammaticam.

11 Prædicatum est terminus post copulam positus dicitur de termino ante copulam stante affirmativè, vel negativè;



5

tivè: sicut homo est substantia, li *homo* est subjectum, & li *substantia* est prædicatum, li *est*, est copula. Vnde Copula sic definitur.

12 Copula est persona prima, secunda, vel tertia singularis, vel pluralis explicita, vel implicita hujus verbi sum es fui. Explicita, sicut Bonitas est magna. Implicita sicut Bonitas *bonificat* magnitudinem. Nam *bonificat* tantum valet quantum, est bonificans.

13 Syncategorematicus terminus est ille, qui significativè, & propriè sumptus non potest esse pars principalis in propositione. Terminus Syncategorematicus dividitur in universale signum, particulare signum, & partes orationis indeclinabiles.

14 Universale signum est, sicut, *omnis, nullus, quilibet, nemo, &c.* universalitèr distribuentia, vel facientia stare copulativè suum terminum communem sequentem pro omnibus suis significatis.

15 Particulare signum est, sicut, *quidam, alter, aliquis, aliquando, alicubi, &c.* particulariter distribuentia, vel facientia stare disjunctivè terminum suum communem sequentem pro suis significatis.

16 Partes indeclinabiles sunt, sicut bene, & pro heu. Terminus Categorematicum aliâ divisione dividitur in Generalissimum, Subalternum, Specialissimum, & Individualem.

17 Generalissimus est, qui non habet universaliozem, sicut ens, bonum, &c. transcendentia. Vel generalissimus est, qui in sua Arbore prædicamentali obtinet supræmum gradum prædicationis: sicut iste terminus *Substantia* in tota coordinatione terminorum suæ Arboris summum gradum obtinet. Et Arbor ipsa dicitur prædicamentum Substantiæ. Et sic de Quantitate, Qualitate, Relatione. Actione, Passione, Habitu, Situ, Tempore, & Loco. Itaque sunt

decem

6  
decem Prædicamenta, Unum Substantiæ, & novem Accidentium, ut dicemus.

18 Subalternus, vel genus Subalternum dicitur sic, respectu specierum inferiorum, vel dicitur species subalterna respectu superiorum, vel superioris; sicut corpus respectu animalis, & hominis genus est, sed respectu Substantiæ est species, & sic de cæteris.

19 Specialissimus dicitur terminus speciei specialissimæ, qui immediatè prædicatur de suis individuis: sicut homo de Petro, Paulo, &c. Asinus de hoc, & illo, &c.

20 Individualis est terminus, qui plus distare non potest à divisione, & à suo generali: sicut sunt nomina propria, & pronomina demonstrativa, & alij termini per ipsa individuati, seu singularizati.

## CAP. II.

### DE INTENTIONIBVS, ET IMPOSITIONIBVS.

1 **I**ntentio est similitudo in anima alicujus, vel aliorum naturaliter repræsentativa. Est autem duplex, *prima*, & *secunda*.

2 Prima est *similitudo particularis*, vel *singularis in anima*, correspondens termino primæ impositionis. Et per eam res singularis est primò objectabilis à posteriori procedendo.

3 Secunda est *similitudo in anima*, correspondens termino *secundæ impositionis*, vel *primæ in communi sumpta*. Unde similitudines, seu conceptus generales sunt secundæ intentiones, & particulares, seu singulares sunt primæ: ad modum rerum realium in quibus Genera, & species sunt per secundam intentionem, & sua particularia per primam.

4 Impositio est *institutio termini vocalis*, vel *scripti*. Qui terminus est *ad placitum significativus alicujus*, vel  
ali-

*aliquorum*. Est duplex impositio, prima, & secunda.

5 Prima est illa, qua terminus est ad placitum significativus alicujus, vel aliquorum, non ea ratione qua ipsum significatum, vel significata sit, vel sint ulterius significativum, vel significativa ad placitum, ut Ens, substantia, Quantitas, Qualitas, Homo: & similes termini dicuntur primæ impositionis in voce, vel in scripto.

6 Secunda impositio est illa, qua terminus est ad placitum significativus alicujus, vel aliquorum, ea ratione qua ulterius est, vel sunt terminus, vel termini ad placitum significativus, vel significativi aliorum à se, ut sunt isti termini *universale, commune, predicabile, genus, species, differentia, proprium, accidens, individuum, oratio, nomen, pronomen, verbum, participium prepositio, conjunctio, adverbium, interjectio*, & similes dicuntur termini secundæ impositionis.

### CAP. III.

#### DE PRÆDICABILIBVS.

1 **P**Rædicabile est *ens commune, seu universale de pluribus dicibile*. Et iste terminus *predicabile* est terminus secundæ intentionis, & est prædicabilis de Genere, Specie, &c. Prædicabilibus de terminis generalibus primæ impositionis, qui etiam prædicantur de suis inferioribus, scilicet Genus de suis generalibus, Species de specialibus, Differentia de Differentiam significantibus, Proprietas de proprietatem significantibus, Accidens de accidentalibus terminis, vel ipsos significant, & eorum significata in generali, importata in speciali per ipsos terminos primæ impositionis simpliciter supponentes. Prædicabilia sunt quinque Genus, Species, Differentia, Proprietas, & Accidens.

2 Genus est *universale, quod de pluribus differentibus specie prædicatur*. Et est Naturale, & Logicale, Generalissimum,

mum, & subalternum; sicut substantia, animal, &c.

3 Species est *universale generi subiectum quod de pluribus differentibus numero predicatur*. Est autem species naturalis, Logicalis, specialissima, & subalterna.

4 Differentia est *id ratione cuius res sunt differentes, clara, & inconfusa*, & per differentiam, substantia spiritualis differt à corporali, & è conversò.

5 Proprietas est *id ratione cuius quodlibet ens consistit in suo proprio numero, sive esse*; ut risibilitas, latrabilitas, paternitas, &c.

6 Accidens est ens, *quod per se existere non potest*, & est separabile: ut rubor, sanitas, scientia, virtus, &c. vel inseparabile: ut calor ab igne, quantitas ab ipso quanto.

## CAP. IV.

### DE PRÆDICAMENTIS.

1 **P**rædicamentum est *generale ordinamentum in quo omne quod est, secundum suum modum, & gradum est invenibile*. Et iste terminus Prædicamentum prædicatur de decem sequentibus, scilicet, de substantia, Quantitate, &c.

2 Substantia est *ens per se existens*. Habet in se formam, materiam, & conjunctionem, vel aliqua, quibus forma, & conjunctio assimulantur, quæ sunt ejus essentialia. Substantia est duplex, scilicet prima ut sunt individua, & secunda, ut sunt genera, & species.

3 Corpus est *substantia ex punctis, lineis, & figuris plena*.

4 Corpus animatum est *substantia informata potentiâ, sensitiva aut vegetativa*.

5 Animal est *substantia vivens, & sentiens*.

6 Homo est *substantia in qua anima rationalis, & corpus*

pus ad invicem conjunguntur. Homo est illa creatura, qua cum pluribus creaturis participat, quam aliqua alia creatura.

PRÆDICAMENTVM SVBSTANTIÆ.

Incorporea inanimatum non sentiēs irrationale Sortes. Substãtia Corpus. ( Corpus animatum. ( Animal. ( Homo. ) corporea animatum sentiens rationale Plato.

DE QVANTITATE.

Quantitas est accidens, quo substantia est finita & limitata.

Simplex. ( Punctus Naturalis. ( Vnitas Artificialis. ( Status Linea. ( § Tempus hora dies. § Locus: hic: ibi. § Triangulus. § Soliditas. § Superficies. Circulus. § Composita. § § Discreta. § Numerus. 1. 2. 3. 4. § Oratio aial est substantia.

DE QVALITATE.

Qualitas est accidens, quo indicatur quale sit Subiectum.

Propria. Appropriata. Habitus. - Vt, Scientia, Virtus, Vitium. § Dispositio. Naturalis - Vt Sanitas, infirmitas. § Qualitas. § Naturalis potentia. Vt ignis ad calefaciendum. Naturalis impotentia. Vt ignis ad infrigidandum. Vt, Rubedo propter verecundiã. Palledo propter timorẽ Passio ( Vt, Meritum, ob virtutem. Culpa, ob vitium. Passibilis Qualitas Vt Dulcedo, amaritudo, acetositas. Forma, seu Figura. ( Vt Curvitas, rectitudo, gibbositas. Triangulatio, Quadrangulatio.

## DE RELATIONE.

Relatio est *accidens per quod aliquid est respectivum,*  
 & quod pluralitatem necessariam indicat.

Æquiparatiæ Vt Fratris, & Fratris, Fratris, & Sororis, Socij.  
 Superpositionis Vt Patris ad Filiū. Dñi ad Servū, Creatoris ad  
 ( creaturam.

Rela ( Suppōnis - Vt Filij ad Patrē, Servi ad Dñm, creature ad Creatorē.  
 tio. Dualis. - Vt Fratris, & Fratris Magistri, & Discipuli.  
 Ternalis - Vt Bonificativi Bonificabilis, & Bonificare, &c.  
 ( Vt, Ignificativi, Ignificabilis, & Ignificare, Aeri-  
 ( ficativi, bilis, are, &c.

## DE ACTIONE, ET PASSIONE.

9 Actio est *accidens cum quo agens accidentaliter agit*  
*in passo accidentali.*

Inanimati - In inanimatum. ut ignis in alia elementa, Solis in  
 ( ignem, Jovis in aérem.

Actio. § (In animatū, ut Ignis in Hō. Sol in plātas, & animalia.  
 Passio. § Animati - In animatū, ut Hominis ad hominē. homi. in bruta.  
 § In inanimatū, ut fabri in clavū, herbæ in elementa,  
 ( quæ in se convertit.

10 Passio est accidens cum quo patiens patitur sub  
 accidentali agente. Et dicitur relativo modo ad actionem,  
 & tot, ac easdem species habet, sicut actio, ut diximus.

## DE SITV.

11 Situs est *accidens quo quedam entia in alijs si-*  
*tuantur.*

Intualis. Vt, Volūtas in Memo. & é cōver. Memo. in Intellectu  
 Sensualis. Vt, Ignis in Aére, Cordis in medio corporis. ( & eoa.  
 Situs. § Vterq; Vt, Animę in Corpore & é cōtrá, & utriusq; in homine  
 ( & contra.  
 Intrinsecus, & Nalis, Vt partis in cōpartē, partiū in toto, & é  
 Extrinsecus, & non Naturalis. Domus in Vico. ( contra.  
 DE

DE HABITU.

12 **Habitus est accidens, quo subiectum habituatur.**

- Habitus. } Intellectualis. Vt sciencia, virtus, vitium.
- } Naturalis. Vt Color in colorato.
- } Sensualis. } Artificialis. Vt, Industriae brutorum.

DE TEMPORE.

13 **Tempus est accidens, in quo entia creata sunt incepta, & nova.**

- Tempus. } Instans, sive presentaneum Punctum.
- } Successio. Vt, hora, Dies, mensis.

DE LOCO.

14 **Locus est accidens per quod unum corpus est collocabile, sive collocatum in alio. Sicut una pars corporis in alia.**

- Locus. } Naturalis, est inseparabilis a subiecto, Vt proprius locus ( hominis, & vini.
- } Appropriatus, & separabilis. Vt locus hominis in aere, vi- ( ni invase,

PARS SECUNDA DE TRUNCO ARBORIS SCIEN-  
tię Logicalis.

CAP. I.

DE PROPOSITIONE.

1 **P**ropositio est Oratio constituta ex terminis veritatis, vel falsitatis significativa. Habet in se terminos sive dictiones. Est in anima mentalis, in voce vocalis, in scripto scriptura, in Syllogismo major, vel minor, vel conclusio: in consequentia antecedens, vel consequens. Habet partes suas mentales in anima, vocales in voce, scriptas in scriptura, in Syllogismo, Syllogisticas. Primum propositio dividitur in veram, & falsam.

2 Vera est illa cujus subiectum, & predicatum omnimode

modè, & simpliciter se habent, ut ipsa denotat. Ut hæc: aliqua Bonitas non est Æternitas. Vera est, quia creata Bonitas non est Æternitas; nam ex quo creatura est, incepta, & nova est.

3 Falsa est illa cujus subjectum, & prædicatum non omnimodè, & simpliciter se habent, uti ipsa denotat. Ut hæc: homo est animal irrationale. Falsa est, quia inquantum dicit irrationale, non se habet subjectum, & prædicatum, ut ipsa denotat. Item Propositio est duplex scilicet Cathégorica, & Hypothetica.

4 Cathégorica est *oratio una perfectam rationem demonstrans*. Habet in se subjectum, prædicatum, & copulam principales partes sui. Est in anima, voce, vel scripto significans veritatem, vel falsitatem unius solius prædicati de uno solo subjecto. Habet in anima unum simplex prædicatum, subjectum, & copulam mentales: in voce habet illas vocales: in scripto scriptas. Habet in ipsis simplicem veritatem, vel falsitatem.

## CAP. II.

### DE QUANTITATE PROPOSITIONIS CATHÉGORICÆ *quæ est quadruplex.*

1 **V** *Universalis* Cathégorica est illa, cujus subjectum est terminus communis conjunctus signo universali. Ut omnis majoritas est minor. Nulla majoritas est magnitudo.

2 *Particularis* est illa, cujus subjectum est terminus communis additus signo particulari. Ut quedam bonitas est æternitas. Quedam magnitudo non est æterna.

3 *Indefinita* est illa, cujus subjectum est terminus communis, nullo tamen signo universali, vel particulari adjunctus. Ut virtus est vera. Homo est animal.

4 *Singularis* est illa, cujus subjectum est terminus  
sin-



singularis, vel discretus, aut certè communis, singularizatus tamen per pronomen demonstrativum primitivum. Ut Deus est Bonitas Magnitudo Æternitas. Sortes est differens. Ista bonitas est sensualis. Tu homo es bonus. Ego sum peccator. Hæc concordantia in æqualitate minoritatis est major.

### CAP. III.

#### DE QUALITATE PROPOSITIONVM.

1 **A**ffirmativa Propositio est illa, cujus prædicatum subjecto attribuitur, vel attribui videtur. Ut, omnis bonitas creata est minor. Omnis bonitas est accidentalis.

2 *Negativa* est illa, cujus prædicatum à subjecto removetur, vel removeri videtur. Ut bonitas Petri non est ejus magnitudo. Ens non est verum.

3 Propositio Cathégorica est duplex, scilicet de disjuncto extremo, & de copulato extremo. *De disjuncto extremo* est illa in cujus subjecto, vel prædicato, vel in utroque ponitur conjunctio disjunctiva. Ut virtus lapidis, vel animæ est sensualis. Animal est rationale, vel irrationale. Corpus, vel anima sunt in quiete, vel labore dum vivimus.

4 *De copulato extremo* est illa, in cujus subjecto, vel prædicato, vel utroque ponitur copulativa conjunctio. Ut Intellectus, & voluntas sunt in Angelo: Memoria est in homine, & in Angelo. Virtus, & vitium sunt in homine & in Angelo.

### CAP. IV.

#### DE PETITIONIBVS.

**L**ogicus tribus modis quærit de Propositionibus. Interrogando enim, *Quæ sit aliqua Propositionis*

*scio*? quæritur. Utrum sit Cathégorica, an Hypothetica? Interrogando, *Qualis sit*? queritur. An sit affirmativa; an negativa; Interrogando, *Quanta sit*? Quæritur. si est universalis, an particularis, an indefinita, an singularis?

## CAP. V.

## DE CONVERSIONIBVS.

1 **L**ogicus habet duas Conversiones in Propositionibus, scilicet *simplicem*, & *per accidens*.

2 Simplex est *mutatio subjecti in predicatum*, & *é converso*, remanente in utraque Propositione, scilicet *conversa*, & *convertente*, eadem quantitate, & qualitate. Et per hanc Conversionem convertuntur negativa universalis, & affirmativa particularis, indefinita, vel singularis. Ut *nullum ens est malum*. Convertitur sic *Nullum malum est ens*. *Quoddam bonum est magnum*. Convertitur in hanc. *Quoddam magnum est bonum*.

3 Per accidens est *mutatio subjecti in predicatum*, & *é converso*, remanente in utraque, eadem qualitate, sed *variata quantitate*. Et per istam convertuntur universales affirmativa, & negativa, in particulares suas, ut *omnis bonitas est differens*: convertitur. *Quoddam differens est bonitas*. *Nullus intellectus est sensualis*. Convertitur. *Quoddam sensuale non est intellectus*. Sed extra animam est alius modus Conversionis, qui spectat ad altiorem Artistam, quam sit Logicus. Et iste est duplex.

4 Unus est quando aliqua concretivè convertuntur, stante Differentia in proprietatibus, sive abstractis, quibus res est id quod est, vel talis qualis est. Et hæc dicitur respectiva, vel secundum quid, ut dicendo: *ens est bonum, magnum*, & *é converso*. Proprietas autem, quâ est bonum, scilicet bonitas, differens est ab essentia, sive proprietate, qua est magnum, scilicet à magnitudine, & hoc in creaturis.

5 Secundus modus est altior priore, & est tunc, quando una ratio, sive proprietas est idem numero, essentiâ, & naturâ cum ratione, sive proprietate de qua prædicatur sine ulla diversitate essentiæ, & Esse, abstracti, & concreti. Et hæc Convertio est absoluta, & simplex, solum Deo enti infinito conveniens.

## CAP. VI.

### DE OPPOSITIONIBVS.

1 **L**ogicus format quatuor oppositiones, scilicet, *Contrariam, subcontrariam, subalternam, & contradictoriam.* Et oportet ad hoc, ut duæ Propositiones opponantur sibi invicem, quod participant in utroque extremo, scilicet prædicato, & subjecto, & quod in illis Propositionibus varietur quantitas, vel qualitas, vel utrumque.



2 Contrariæ ergo sunt duæ universales affirmativa, & negativa, & ita concordant in quantitate, & repugnant in qualitate.

3 Subcontrariæ sunt duæ particulares, altera affirmativa; altera negativa. Et ita sunt ejusdem quantitatis, & diversæ qualitatis.

4 Subalternæ sunt universalis affirmativa, & sua particularis affirmativa, vel universalis negativa, & sua particularis negativa. Itaque conveniunt in qualitate, & non in quantitate.

5 Contradictoriæ sunt duæ, propositiones quarum una sit universalis affirmativa, & alia particularis negativa, vel una sit universalis negativa; altera verò sit particularis affirmativa: in tantum, quod duæ Contradictoriæ sibi invicem repugnant quantum possibile est, scilicet in quantitate, & qualitate. In oppositionibus, & æquipolentijs idem faciunt particularis indefinita, & singularis. Ut autem dentur exempla prædictarum oppositionum ponitur sequens Figura.

Om-



7 Istæ verò Propositiones oppositæ, quas leges inter se, & convenientias habeant, vel quomodo si una est vera; altera sit vera, vel falsa, inferiùs dicetur in Cap. de locis. Hic tamen advertendum est; quòd duæ Propositiones possunt esse mutuò contradictoriæ duobus modis, scilicet contradictoriæ de *modo*, vel contradictoriæ de *lege*.

8 Contradictoriæ de modo sunt, quando se habent, ut paulò antè dictum est, scilicet quando participant in sub-  
jecto, & prædicato, & opponuntur in *quantitate*, & *qualitate*.

9 Contradictoriæ de lege sunt duæ propositiones, quæ licet non participant in subjecto, & prædicato, & licet non sibi invicem repugnent, tàm in quantitate, quàm in qualitate, servant tamen inter se Legem contradictoria-  
rum, quæ est hæc, quòd si una contradictoriarum est *ve-  
ra*, altera est *falsa*, & è conversò, & nunquam ambæ sunt veræ, neque ambæ falsæ. Et hoc modo contradic-  
tionis multæ Propositiones opponuntur varijs modis.

10 Unus, quando affirmatio, & negatio fiunt *ejusdem de eodem secundum idem, similiter, & in eodem tempore*: ut Petrus movetur, & non movetur.

11 Alius est, quando contraria, vel disparata affirmantur de eodem, secundum idem, similiter, & simul. Ut *Bonitas est magna, & parva: vel est ens, & nihil. Sortes est homo, & asinus.*

12 Alius est, quando fit affirmatio, vel negatio duorum penitus contrariorum: Ut *infinitum bonum est: infinitum malum est. Summa virtus est: Summum vitium est. Immensa veritas est: Immensa falsitas est, &c. Summa Bonitas non est: Summa malitia non est. Summa virtus non est: Summum vitium non est. Bonum non est: Malum non est. Clarum non est: confusum non est.*

## CAP. VII.

### DE ÆQUIPOLLENTIJS,

1 **L**ogicus facit triplicem Æquipollentiam in Propositionibus oppositis supradictis.

2 Prima est, quando signo universalis, negatio postponitur, quia tunc Propositio in qua negatio postponitur, signo universalis, æquivalet suæ contrariæ. Ut *Omnis bonitas non est magna: æquivalet huic: nulla bonitas est magna, & è conversò. Nulla bonitas non est magna æquivalet huic: Omnis bonitas est magna.*

3 Secunda est, quando negatio præponitur signo universalis, vel particulari; tunc ipsa Propositio æquivalet suæ contradictoriæ: ut *non omnis bonitas est magna, æquivalet huic: aliqua bonitas non est magna. Et ista: non aliqua bonitas est magna: æquivalet huic: nulla bonitas est magna.*

4 Tertia Æquipollentia est, quando ipsi signo, vel particulari, vel universalis præponitur, & postponitur negatio, tunc enim æquivalet suæ subalternæ: ut, *non omnis boni-*

*bonitas non est minor: æquipollet huic: quædam bonitas est minor. Et non nulla bonitas non est intellectualis: æquivallet isti: aliqua bonitas non est intellectualis, & è converso. Unde habes verum.*

*Præ. contradic. Post contra. Præ. postque. subalter.*

## CAP. VIII.

### DE PROPOSITIONE HYPOTHETICA.

1 **P**ropositio Hypothetica est oratio, in qua due categorica, vel plures per aliquam conjunctionem indeclinabilem uniuntur ad invicem. Sex modi sunt Hypotheticæ Propositionis, scilicet *copulativa, disjunctiva, conditionalis, causalis, temporalis, localis, & rationalis* quamquam omnes possunt reduci ad tres primos modos.

2 *Copulativa* est Hypothetica, cujus categoricæ conjunguntur per conjunctionem *copulativam*, quales sunt *istæ, & ac, atque*. Et si est vera ipsa Propositio Copulativa, oportet omnes ejus categoricas esse veras; aliter, si una ex illis est falsa, tota Hypothetica est falsa.

3 *Disjunctiva* est Hypothetica, cujus categoricæ uniuntur per conjunctionem *disjunctivam*. Ad ejus falsitatem requiritur, quod omnes suæ categoricæ sint falsæ; aliter si una illarum est vera, tota disjunctiva est vera.

4 *Conditionalis* est illa Hypothetica, cujus categoricæ conjunguntur per hanc conjunctionem, *si*. Et ad ejus veritatem requiritur, & sufficit, quod impossibile sit ita esse, ut per antecedens significatur, quin ita sit, ut per consequens significatur. Ut *si omnis Propositio est affirmativa, nulla est negativa*. Si lapis intelligit, habet intellectum. Aliter est falsa, si consequentia non est bona. Ut *si homo est animal, homo dormit*.

5 *Causalis* est Hypothetica habens in se duas categoricas,

ricas, vel plures unitas per aliquam *Causalem conjunctionem*. Et ad veritatem Causalis affirmativæ requiritur, quòd sic esse, ut significatur per antecedens, sit causa sic essendi, ut per consequens significatur. Et ideo ista est vera. *Quia Deus est omnipotens, Deus est creator*. Alitèr est falsa, sicut; *quia Plato erat homo, erat doctus*, quæ est falsa, quantumcumq̃ Plato fuerit doctus, quia potuit esse homo, & indoctus.

6 Contrarium est in *causali negativa*, in qua negatio præcedit totam Propositionem. Ideò ista est vera: *non quia tu scribis, dies est*: quæ est vera, licet tu non scribas. Sed in negativa, in qua negatio ponitur post unam cathegoricam, & immediatè antè conjunctionem Causalem, requiritur ad ejus veritatem, quòd cathegorica præcedens negationem sit vera, & requiritur quòd sic esse, ut secunda significat, non sit causa sic essendi ut prima significat; Ideo ista est vera: *Sol lucet, non quia Magister legit*. Et ista est falsa. *Sol est obscurus, non quia tu curris*; quia falsum est, quòd sol sit obscurus. Et hæc est falsa: *Mundus est, non quia Deus creavit ipsum*.

7 Temporalis est Hypothetica, habens in se duas, vel plures cathegoricis unitas per aliquod *adverbium temporale*. Et ad ejus veritatem, si sit de *præterito*, vel de *futuro*, nec habeat aliquam partem universalem, nec adverbium denotans *successionem*, sed *simultatem* temporis, requiritur quòd ita fuerit, vel futurum sit in eodem tempore, sicut suæ cathegoricæ significant.

8 Et ideò, hæc est vera. *Sol fuit ecclipsatus, quando Christus fuit passus*. Et ista: *Helias predicabit, quando Antichristus predicabit*. Sed si habet in se adverbium denotans *ordinem temporalem*, vel *successionem*, sufficit tunc, quòd ita fuerit, vel futurum sit, pro diversis saltem temporibus, sicut suæ cathegoricæ significant. Et ideò hæc est vera: *Judas laqueo se suspendit, postquam Christum tradidit*.

9 Si verò aliqua pars est universalis de præterito, vel de futuro, requiritur, quòd tot propositiones singulares fuerint, vel futuræ sint veræ *successive*, quot fuerunt, vel erunt supposita significata per subjectum talis Propositionis universalis, ut patet in ista: *omnis homo erit albus, quando unus solus homo erit albus*. Et ista: *omnis homo morietur, quando unus solus homo morietur*; & sic de multis alijs.

10 Et probatur veritas hujus, quia posito, quòd hodie moriatur unus homo solùm, & cras alius, & ita deinceps donec omnes viventes sint mortui, tunc in tali casu ita erit, ut dicit Propositio universalis. Quoniam iste homo morietur, quando unus solus homo morietur, demonstrato illo, qui hodie moriturus est, & sic de singulis: ergo *omnis homo morietur, quando unus solus homo morietur*.

11 Si verò quælibet cathégorica sit de præsentis tunc requiritur, quòd ita sit in tempore præsentis, sicut suæ cathégoricæ significant, ut *dùm Magister legit, Scholares proficiunt*. Vera est, si ita sit, ut suæ cathégoricæ significant. Ad falsitatem sufficit oppositum illius, quod requiritur ad ejus veritatem.

12 Localis est Hypoethetica habens in se duas, vel plures cathégoricas unitas per aliquod adverbium *locale*. Et ad veritatem localis affirmativæ, non habentis adverbium denotans motum, requiritur quod ita sit, vel fiat *in eodem loco proprio, vel communi*, sicut suæ cathégoricæ significant. Ideo ista est vera *Sortes est, ubi sedet*.

13 Sed ad veritatem negativæ sufficit, quod res non fit, vel fiat *in eodem loco communi*, ita ut suæ cathégoricæ significant. Ideò hæc est vera. *Non omnis homo torquetur, ubi quilibet existens est beatus*. Sed ad veritatem Localis, habentis in se adverbium denotans *motum*, aliquando requiritur, quod sit idem terminus ad quem; ut *Sortes vadit Gerundam, quò vadit Plato*. Aliquando, quod sit  
idem



idem terminus à quo: ut *Sortes venit Gerunda, unde venit Rex*. Aliquando, quòd sint termini diversi: ut, *Sortes vadit Gerundam, undé venit Plato*.

14 Rationalis est Hypothesica, in qua conjunguntur plures cathegoricæ mediante *conjunctione causali*, Et ad ejus veritatem requiritur, & sufficit, quòd qualitercumque significetur *esse, fuisse, vel fore*, per ejus antecedens, secundum *totalem complexionem*, ita *sit, fuerit, vel futurum sit*, ut significatur per ejus antecedens, secundum *totalem complexionem*, ut *Deus est: ergo ens est*.

15 Illa autem Propositio Hypothesica est negativa, in qua negatio procedit totam Propositionem Hypothesicam, vel ejus *formale immediaté*. *Formale* in Propositione Hypothesica dicitur *conjectio illa*, vel vinculum, quo duæ cathegoricæ, vel plures uniuntur; sicut est copula verbalis in cathegorica. Et sicut negato verbo principali in cathegorica, ipsa est negativa: sic negato *formali* in Hypothesica, est ipsa negativa.

16 Propositiones Hypothesicæ, ut Hypothesicæ sunt, non possunt opponi nisi *contradictorié*. In Hypothesicis addendum contradictoriam sufficit præponere *negationem toti* propositioni, vel ipsius *formali*. Præterea contradictoria unius *copulativa* est una *disjunctiva* composita ex partibus contradicentibus partibus *copulativa*, & è converso.

## CAP. IX.

### DE ÆQUIVALENTIBVS HYPOTHETICIS.

1 **P**ropositio æquivalens Hypothesicæ est Propositio in qua ponitur dictio, ratione cujus ipsa est *exponibilis* per Propositionem Hypothesicam, ut sunt: *exclusiva, exceptiva, reduplicativa, &c.*

2 **Exclusiva** est illa, in qua fit *exclusio* per dictionem

ex-

exclusivam; sicut per has dictiones; *solúm: tantúm; unicus*, & his æquivalentes: ut *tantúm homo currit solúm homo currit. Solus Sortes currit*. Quando dictio exclusiva additur *subjecto*: ut *tantúm homo currit*: Exponitur sic: *homo currit, & nihil aliud ab homine currit. Tantúm duo homines currunt*. Exponitur sic: *duo homines currunt, & nulli alij á duobus hominibus currunt*. Sed è contrà est in negativa, quia tunc prædicatum removetur à *subjecto*, & attribuitur cui-libet alteri.

3 Quando autem dictio exclusiva additur *prædicato*: ut *Sortes est tantúm animal*. Exponitur sic: *Sortes est animal, & Sortes non est aliud ab animali*. Quando additur *copula*: exponitur eo modo, quo quando additur *subjecto*, ut *Sortes tantúm est comedens*. Exponitur: *Sortes est comedens, & non est aliud á comedente*. Quando additur tam *subjecto*, quàm *prædicato*: ut, *tantúm Sortes est tantúm animal*: tunc exponenda est sic: *Sortes est animal, & nihil aliud á Sorte est nihil aliud ab animali*.

4 Exceptiva est illa, in qua fit exceptio idest extra captio partis à suo toto per dictionem exceptivam, scilicet, *præter, præterquam, nisi*. Ad Propositionem exceptivam, requiruntur quatuor termini tanquàm quatuor conditiones. Primò requiritur *subjectum principale*, à quo fiat exceptio. Secundò *dictio exceptiva*, perquam denotetur actus excipiendi. Tertiò *pars excepta*. Quartò *prædicatum, respectu cuius fiat exceptio*.

5 Hoc autem patet in hac Propositione: *omnis homo præter Sortem currit*. Ly homo dicitur *subjectum principale* à quo fit exceptio. Ly *præter* dicitur dictio exceptiva. Ly *Sortes* dicitur pars extra capta. Ly *currit*, est *prædicatum respectu cuius fit exceptio*. In exceptiva requiruntur duæ conditiones.

6 Prima est, quòd *subjectum* sit terminus communis cum signo universalis sumptus, habens plura supposita,  
vel

vel particularia sub se. Ideo hæc est impropria: *Sol præter Solem lucet*. Et ista: *homo præter Sortem currit*.

7 Secunda conditio est, quòd prædictum subjectum prædicari possit de *excepto*, & etiam de omnibus ejusdem speciei *cum excepto* in Propositione affirmativa vera, & quòd exceptum sit minus commune. Unde improprie diceretur: *omnis homo præter asinum currit*: *omnis homo præter animal currit*. *Omnis homo præter omnem hominem currit*.

8 Ad veritatem affirmativæ requiritur, quod prædicatum non insit *excepto*, & insit omni alij ( ab *excepto* ) contento sub subjecto illo, à quo fit exceptio: sicut patet in hac Propositione: *omnis homo præter Sortem currit*, quæ sic exponitur. *Sortes non currit*, & *omnis homo alius à Sorte currit*: & sic de similibus Propositionibus.

9 Sed ad veritatem negativæ requiritur è converso, scilicet, quòd prædicatum *insit excepto*, & nulli alij contento sub subjecto principali, unde fit exceptio: ut *nullus homo præter Sortem currit*, exponitur sic: *Sortes currit*, & *nullus alius homo currit*; Et sic de alijs similibus.

10 Reduplicativa est illa, in qua fit reduplicatio per dictionem reduplicativam, sicut sunt, *ut inquantum*, & similia. Reduplicativa quandoque est affirmativa: ut *homo est sensitivus inquantum est animal*. Quandoque est negativa. negatione præcedente reduplicationem, & verbum principale: ut *homo, non inquantum animal, est sensitivus*: Aliquando verò est negativa negatione posita inter reduplicationem, & verbum principale, ut *homo in quantum animal non est sensitivus*, vel *homo in quantum animal non est asinus*.

11 Notandum est, quòd in reduplicativa Propositione quandoque ponuntur tres termini *dissimiles*; quandoque duo *similes*, & unus *dissimilis* uni duorum; quandoque sunt omnes tres *similes*. Ad veritatem reduplicativæ  
requi-

requiritur veritas: unius copulativæ compositæ, quandoque ex tribus, quandoque ex quatuor propositionibus categoricis, in qua propositione copulativa, oportet, quòd remota dictione reduplicativa prædicetur secundus terminus prædictorum trium, & tertius de primo, & tertius universaliter de secundo, Ut hæc: *homo in quantum animal est sensitivus*. Est vera, quia hæc copulativa est vera. *Homo est animal, & homo est sensitivus, & omne animal est sensitivum.*

12 Similiter istæ sunt veræ. *Omnis justitia, in quantum virtus, est vera. Homo, in quantum homo, est risibilis.* Quia istæ sunt veræ: *Omnis justitia est virtus. Omnis virtus est vera, & sic de alijs.* Sed istæ sunt falsæ. *Homo in quantum asinus, est animal. Homo in quantum animal, est irrationalis: Homo in quantum homo damnatur: & sic de similibus.*

13 Verbum. *Incipit* exponitur per positionem de præsentis, & remotionem de præterito. Ut *Sortes incipit esse.* Exponitur sic: *Sortes nunc est, & immediatè antè hoc nunc non erat.* *Sortes incipit esse albus: exponitur sic: Sortes nunc est albus, & ipse immediatè antè hoc nunc, non erat albus.*

14 Verbum. *Desinit* exponitur per remotionem de præsentis, & positionem de præterito. Ut *Sortes desinit esse: exponitur sic. Sortes nunc non est, & immediatè antè hoc nunc, ipse erat.* *Sortes desinit esse Grammaticus, exponitur sic. Sortes nunc non est Grammaticus, & immediatè antè hoc nunc, ipse erat Grammaticus.*

## CAP. X.

### DE TERMINIS, MODIFICATIVIS.

1 **P**ossibile est ens, quod actu non est, sed potest esse. Ut hominem esse Cerdonem, & Carpentarium, & hujusmodi.

2 Impossibile est ens, quod actu non est, nec potest esse. Ut hominem esse lapidem, & eum non esse animal.

3 *Necessarium est ens, quod nulla ratione aliter esse potest, quàm est, Ut Bonitatem esse, & eam esse in Duratione.*

4 *Contingens est ens per actum possibilitatis existens: Ut aliquem vocari Sortem, & dicitur contingens, eò quia hoc non est necessarium, nec impossibile.*

5 *Possibile est duplex, unum est per causam, alterum est per infinitam Potestatem. Per causam, sicut ignem comburere lignum, & lignum comburi. Undè sequitur, quòd antè quàm comburatur, combustio est possibilis ab igne activè, in ligno passivè.*

6 *Per Infinitam Potestatem: Sicut Deum facere ad suum placitum de Mundo, & de omni, quod in eo est, & ita possibilitas est effectus divinæ potestatis. Omne enim quod in Deo est, necessitas, & purus actus est. In creaturis aliquid est possibile, vel impossibile in uno tempore, quod non est possibile, vel impossibile in alio; & sic de loco. Exemplum primi: dum Petrus non intelligit, impossibile est in tali nunc eum intelligere; sed in alio tempore possibile est. Exemplum secundi: quum Petrus est Parisijs, impossibile est quòd sit Roma.*

7 *Impossibile est duplex: quoddam est per contradictionem, Ut Bonitatem esse, & non esse. Aliud per defectum cause: ut aliquid esse bonum sinè Bonitate, Magnum sinè Magnitudine, ignem esse calidum sinè caliditate, intellectum intelligere sinè Potestate.*

8 *Alius modus est impossibilitatis, qui consistit per perfectionem maximam. Et hæc solùm convenit Deo, qui est perfectissimum bonum, necessarium, & infinitum. Propter quod, impossibilissimum est ipsum facere malum, peccatum, aut in eo existere defectum, contingentiam, atque bonæ operationis cessationem.*


CAP. XI.

DE MODALIBVS.

D d

i Pro-

1 **P**ropositio modalis est illa, in qua ponitur terminus modificativus cum infinitivo. Et opponuntur, sicut sensualiter patet in hac Figura.



2 Istæ Propositiones modales æquivalent ad invicem secundum verum in alia Figura prædictum. Si autem prædicti termini, seu modi ponuntur in medio dicti, scilicet inter actum, & infinitivum ipsos dividendo, dicitur Propositio divisa, seu *in sensu diviso*. Aliter dicitur Propositio composita, seu *in sensu composito*.

3 Ad veritatem divisæ sufficit, quòd modus verificetur de Propositione constituta ex pronomine demonstrante id, pro quo stat subjectum talis Propositionis correspondentis prædicto dicto, stante prædicato in propria forma. Ut dicendo: *calidum possibile est esse frigidum*. Est Propositio modalis, *divisa*, & ad ejus veritatem sufficit quòd sit vera hæc Propositio: *hoc esse frigidum est possibile*: pronomine illo demonstrante significatum subjecti Propositionis prius datae.

4 Ad veritatem compositæ requiritur, quòd terminus, seu modus verificetur de Propositione indicativa correspondente illi dicto: Ut *Bonitatem esse magnam est necessarium* Requiritur ad ejus veritatem, quòd hæc sit vera: *Bonitas est magna, est Propositio necessaria; & sic de alijs hujusmodi.*

## CAP. XII.

### DE TRIPLICI PROPOSITONVM DIFFERENTIA.

1 **O**Mnis Propositio, aut est *necessaria*, aut *contingens*, aut *impossibilis*.

2 *Necessaria* est, quia ejus prædicatum est in tanta concordantia cum subjecto, quòd ab eo nullo modo potest privari: Ut *Deus est bonus. Homo est animal.* Vel in tanta distantia, quòd nullo modo potest cum eo convenire: ut *homo non est asinus.*

3 *Contingens* est, quia ejus prædicatum inest subjecto à contingentia, ita quòd subjectum aliquando fuit, vel potuit, vel potuerit esse sinè prædicato: ut *homo est justus Scolarijs Cerdo.* Veruntamen ad omnem contingentē sequitur aliqua necessaria, sicut ad istam: *homo est luxuriosus.* Quæ est contingens, sequitur hæc necessaria: *homo luxuriosus est peccator.*

4 *Impossibilis* est, quia ejus prædicatum per nullam potentiam potest cum subjecto concordare, hoc est, de eo verè, & affirmativè prædicari: ut *homo est lapis.* Et proptèr hoc, sunt tres materiæ in Propositionibus; scilicet *naturalis, contingens, & remota.*

### PARS TERTIA DE BRANCHIS ARBORIS SCIEN- tiæ Logicalis.

#### CAP. I.

#### DE SUPPOSITIONE.

1 **S**uppositio est *statis, sive positio termini categorematici pro se, vel pro alio, vel alijs á se in*  
pro-

*propositione*. Suppositio primò dividitur in *propriam*, & *impropriam*.

2 *Impropria* est, quando terminus supponit pro illo ad quod significandum non est impositus; sed ipsum significat ex solo usu loquentium impropriè. Ut Anglia pugnat. Cyphus bibit. Paries vult cadere.

3 *Propria* est, quando terminus supponit pro intentione, vel pro se, vel sibi simili, vel pro illo ad quod significandum est impositus. *Propria* dividitur in *simplicem*, *materialem*, & *personalem*.

4 *Simplex* est, quando terminus primæ, vel secundæ impositionis supponit pro secunda intentione mentali, seu reali, scilicet, idempticè universalis, & non pro particularibus: ut *animal est genus*. *Homo est species*. *Ignis est genus*. Subiecta harum propositionum, & similium supponunt simpliciter.

5 *Materialis* est quando terminus supponit pro se aut sibi simili termino, Ut dicendo: *Homo est vox*: ly homo supponit materialiter pro se; sed dicendo: *homo est terminus mentalis*: ly homo supponit materialiter pro sibi simili existente in mente.

6 *Personalis* est quando terminus supponit pro illo ad quod significandum est impositus, vel pro illo quod naturaliter propriè significat, ut dicendo: *Homo currit*: ly homo supponit personaliter. Exemplum secundi: ut *qualitas est terminus*. *Personalis* suppositio dividitur in *discretam*, & *communem*.

7 *Discreta* est quando terminus singularis, vel discretus supponit, ut subiectum hujus propositionis. *Iste homo currit*.

8 *Communis* est quando terminus communis supponit, ut subiectum hujus. *Homo currit*. *Communis* dividitur in *determinatam*, & *confusam*.



9 *Determinata* est quando terminus communis supponit pro aliquo, sub quo non *copulativé*, sed *disjunctivé* seu per propositionem *disjunctivam* potest fieri descensus ad sua singularia, Ut discendo *Homo currit*: Ly homo, supponit *determinaté*, quia sub ipso potest fieri descensus *disjunctivus* ad sua singularia, isto modo: *Homo currit*:: ergo *iste Homo currit*, vel *ille Homo currit*, vel *Petrus currit*, vel *alius Homo currit*.

10 *Confusa* est quando terminus communis supponit, & non debet fieri talis descensus, sicut prædictus; sed vel *disjunctus* per propositionem de *disjuncto extremo*, vel *copulatus* per propositionem de *copulato extremo*, vel *copulativus* per propositionem *copulativam*. Et ideò suppositio *confusa* est triplex, quia vel est *confusa tantum disjunctim*, vel *confusa tantum copulativim*, vel *confusa, & distributiva*.

11 *Confusa tantum disjunctim* est quando non potest fieri descensus per propositionem *disjunctivam*, sed per propositionem de *disjuncto extremo*, Ut dicens: *omnis homo est animal*. Ly *animal* supponit *confusé tantum*, & sub eo potest fieri descensus *disjunctus*, hoc modo: ergo *omnis homo est hoc animal*, vel *istud animal*, vel *aliud*.

12 *Confusa tantum copulativim* est, quando non licet fieri alium descensum, nisi *copulatum*, scilicet per propositionem de *copulato extremo*, ut *omnes menses conficiunt annum*: ergo *iste mensis, & ille, &c. conficiunt annum*; Et hìc ly *omnes* tenetur *collectivè*.

13 *Confusa, & distributiva* est, quando potest fieri descensus per propositionem *copulativam uniformitèr*, vel *difformitèr* ad sua singularia, Ut *omnis Homo currit*. Ly *homo* supponit *confusé, & distributivé*. Et sub ipso potest fieri descensus *copulativus talis*: ergo *iste Homo currit, & ille homo currit, & sic de alijs*. *Confusa, & distributiva* est duplex, scilicet, *mobilis, & immobilis*.

14 *Mobilis* est quandò potest fieri descensus *uniformitèr*, vel affirmativè, vel negativè, Ut dicendo: *omnis homo est animal*. Sub *ly homo* potest fieri descensus *copulativè affirmativè*, ut dictum est; sed in propositione negativa fit descensus *negativè*: ut *nullus homo est lapis*: ergo *iste homo non est lapis*: & *ille homo non est lapis*, & sic de reliquis hominibus.

15 *Immobilis* est, quandò non potest fieri descensus *uniformitèr*; sed *difformitèr*, scilicet, quando aliqua singulares sunt affirmativæ, & aliqua negativæ, ut dicendo: *omnis homo currit, præter Sortem*, fit talis descensus: ergo *iste homo currit*, & *Sortes non currit*: & *ille homo currit*, & *Sortes non currit*: & sic de alijs exemplis.

## CAP. II.

### DE REGVLIS SUPPOSITIONVM.

1 **P**Rima. Omnis terminus singularis supponit *discretè*.

2 Secunda. Cujuslibet propositionis particularis, vel indefinitæ subjectum supponit *determinate*: etiam prædicatum affirmativæ, si sit terminus communis, & hoc non impediatur sine thegoremma. Ut *homo est animal*; utrumque extremum supponit *determinate*.

3 Tertia. Cujuslibet propositionis, universalis subjectum supponit *confusè*, & *distributivè*, & etiam prædicatum propositionis *exclusivæ*, si sit terminus communis.

4 Quarta. Cujuslibet propositionis universalis negativæ subjectum supponit *confusè*, & *distributivè*, & etiam prædicatum, si sit terminus communis.

5 Quinta. Signum universale affirmativum *confundit*, & *distribuit* suum terminum communem sequentem se, & confundit tantum terminum communem remotum sequentem se. Omnis autem negatio, & omnis dictio habens

bens vim negationis *confundit*, & *distribuit* terminos omnes sequentes se. Est autem dictio habens vim negationis: omnis *comparativus*, *superlativus*, & omnes isti termini, *siné*, *differt*, *aliter*, *caret*, *distinguitur*, & alij similes.

6 Sexta. Prædicatum cujuslibet propositionis universalis affirmativæ, & subjectum cujuslibet exclusivæ affirmativæ, si sint termini communes supponunt *confusé* tantum.

7 Septima omnia adverbia numeralia. Ut *bis*, *ter*, *quater*, & isti termini *immediaté*, *continué*, *semper*, *ubique* confundunt terminos communes *mediaté* sequentes se *confusé* tantum, ut. *Ter portavi vinum. Sempér fuit homo. Continué erit dies. Bis comedi panem. Semel veniam ad te.* Et ista verba: *appeto*, *desidero*, *cupio*, *opto*, *teneor*, *debeo*, *promitto*, *requiro*, *indigeo*, *spondeo*, & universalitèr omnia verba significantia *actum interiorem* cum suis activis participijs, gerundijs, & priore supino, confundunt terminum communem sequentem se (quem regunt à parte post) *confusé* tantum. Et ideò non valet: *ego promitto tibi panem: ergo panem tibi promitto.* Quia arguitur à termino stante *confusé* tantum ad eundem stantem *determinaté*.

8 Octava. Quilibet terminus habens vim distribuendi terminum sequentem, quem invenit non distributum, est talis naturæ, quòd si invenit ipsum distributum, facit ipsum non esse distributum.

9 Nona regula. Omnis terminus communis supponit *determinaté*, si non præcedat aliqua dictio, habens vim negationis, vel vim confundendi terminum communem *confusé*, & *distributivé*, vel *confusé* tantum.

### CAP. III.

#### DE AMPLIATIONIBVS.

**A**mpliatio est *statio termini categorici*, pro aliquo, vel aliquibus ultra hoc, pro quo ac-

tua-

tualitèr existeret in propositione simpliciter prima. *Regula*, de Ampliatione sunt sequentes.

2 Prima. Cujuslibet propositionis, cujus copula est de præterito, subjectum ampliatur ad supponendum pro eo, quod est, vel fuit, Ut album fuit nigrum. Subjectum supponit pro illo, quod est album, vel fuit album. Similiter: omne animal fuit in Arca Noe. Præteritum fuit futurum. Futurum fuit præteritum. Puer fuit senex. Vivum fuit mortuum. Comburendum fuit combustum. Corrumpendum fuit corruptum: & similia.

3 Secunda. Cujuslibet propositionis, cujus copula est de futuro, subjectum ampliatur ad supponendum pro eo, quod est, vel erit, ut *homo generabitur. Album erit nigrum. Mortuum erit vivum: Mortuum morietur. Jam genitum, generabitur. Senex erit puer. Præteritum erit futurum. Simplex Clericus erit Episcopus. Cæcus erit videns. Episcopus erit Laicus, &c.*

3 Tertia. Cujuslibet propositionis, in qua ponitur hoc verbum *potest*, pro verbo principali, subjectum ampliatur ad supponendum pro eo, quod est, vel erit, vel *potest esse*. Ut *album potest esse nigrum. Creans potest esse Deus. dormiens potest esse vigilans. Cæcus potest esse videns. Mortuum potest vivere sine resurrectione. Præteritum potest esse præsens, vel futurum. Calidissimum potest esse calidum. Albissimum potest esse albius nullo addito. Jam mortuum potest mori, & similes propositiones omnes sunt veræ. Idem dico de subjecto propositionis, cujus copula est de præsentibus, & prædicatum est hoc participium potens. Ut *album est potens esse nigrum: & similiter de hoc verbo contingit, & suo participio contingens. Ut album contingit esse nigrum. Calidum est contingens esse frigidum.**

5 Quarta. Cujuslibet propositionis cujus prædicatum est participium præteriti temporis, sive copula verbalis principalis

cipalis sit de, præfenti fivè de præterito, fubjectum fupponit pro eo, *quod eft*, vel *fuit*. Ut *aliquis homo eft mortuus*. Ly *homo* fupponit pro eo quod *eft homo*, vel *fuit homo*, & fimilia. Et fi prædicatum fit participium futuri temporis, fubjectum ampliatur ad fupponendum pro eo, *quod eft*, vel *erit*, Ut *aliquis homo eft generandus*: Ly *homo* fupponit pro eo, *qui eft homo*, vel *erit homo*.

6 Quinta. Cujuslibet propofitionis cujus prædicatum eft nomen verbale terminatum in *bilis*, *bile*, fubjectum ampliatur ad fupponendum pro eo, *quod eft*, vel *potest effe*, fivè copula fit de præfenti, fivè de futuro: Ut *homo eft generabilis*. *Genitum eft generabile*. *Corruptum eft corruptibile*. *Corruptum eft generabile*.

7 Sexta. Hæc verba *intelligo*, *cognofco*, *fco*, *concupio*, *memoro*, *intelligo*, *opinor*, *arbitror*, cum fuis participijs, gerundijs, & priore fupino, & cætera verba, quæ habent naturam tranfeundi, ita benè, & verè in rem præteritam, vel futuram, vel poffibilem, ficut in rem præfentem, ampliant accusativum, vel alium cafum, quem regunt à parte poft, & quia terminat dependentiam eorum, ad fupponendum pro ejus fignificato, vel fignificatis, refpectu cujuslibet temporis, & poffibilitatis; fed non eft fic de alijs verbis, quorum actus non poffunt verè transire nifi fupra rem præfentem: ficut *comedere panem*, & fimilia. Et pari ratione verba paffiva dictorum verborum ampliant terminos ab ipsis rectos à parte antè.

8 Septima. Cujuslibet propofitionis de neceffario *in fenfu divifo*, fubjectum ampliatur ad fupponendum pro eo, *quod eft*, vel *potest effe*. Ut *omne creans, neceffe eft effe Deum*.

9 Octava. Omnis propofitio cujus fubjectum ampliatur ad fupponendum pro eo, *quod eft*, vel *erit*, vel pro eo, *quod eft*, vel *fuit*, vel *potest effe*, debet exponi per propofitionem

sitionem categoricam de *subjecto disjuncto*, ut ista: *Omnis homo erit albus*. Debet exponi sic: *omnis homo, qui est, vel erit, erit albus*.

## CAP. IV.

### DE APPELLATIONIBVS.

1 **A**ppellatio est *verificatio prædicati sub eadem forma*. Id est dictione in propositione de præfenti, de pronomine demonstrante illud pro quo supponit subjectum propositionis, cujus ipsum prædicatum est pars. Hoc autem exemplis fiet manifestissimum. De Appellatione dantur hæ Regulæ.

2 Prima. Ad veritatem propositionis de præfenti requiritur, quod ejus prædicatum in propria forma, id est sub eadem dictione, verificetur ( in propositione de præfenti ) de pronomine demonstrante illam rem, pro qua supponit subjectum illius propositionis, de præfenti: Ut ad veritatem hujus. *Omnis homo est animal*, requiritur, quod istud prædicatum, *animal*, sit verificabile de pronomine demonstrante illam rem pro qua supponit ly *homo* in dicta propositione. Itaque requiritur hanc esse veram, *homo est animal*. Demonstrando per ly *hoc*, rem significatam per istum terminum *homo*.

3 Secunda. Ad veritatem cujuslibet propositionis *de præterito* requiritur, quòd ejus prædicatum sequens verbum fuerit aliquando sub eadem ratione verificabili ( in propositione de præfenti ) de pronomine demonstrante illud, pro quo supponit subjectum illius propositionis de præterito.

4 Tertia. Ad veritatem cujuslibet propositionis *de futuro* requiritur, quòd ejus prædicatum in propria forma aliquando futurum, sit verificabile in propositione de præfenti, de pronomine demonstrante illud pro quo supponit  
subjectum

subjectum illius propositionis *de futuro*.

5 Quarta. Ad veritatem cujuslibet propositionis *divi-*  
*sa* de isto verbo, *potest*, vel de isto, *contingit*, vel de his  
modis *possibile*, *contingens*, vel *necesse*, requiritur, quod  
iste modus *possibile*, vel *contingens*, vel *necesse* sit verifi-  
cabilis in propria forma de propositione, in qua ipsum-  
met prædicatum verificetur de pronomine demonstrante  
illud, pro quo supponit subjectum talis propositionis. Ut  
ad veritatem istius propositionis. *Album potest esse nigrum*.  
Requiritur, quod iste modus *possibile*, sit verificabilis de  
ista propositione dicendo: *hoc esse nigrum est possibile*. De-  
monstrando per *ly hoc*, illud pro quo supponit subjectum  
hujus. *Album potest esse nigrum*.

6 Quinta. Ista verba: *cognosco*, *intelligo*, *scio*, & si-  
milia, quæ habent naturam transeundi in dictionem *sub-*  
*stantivam*, vel in rem *substantivè* designatam, & in dictio-  
nem *adjectivam*, vel in rem *adjectivè* designatam, & etiam  
in complexionem ipsarum, appellant *suam formam*, & eti-  
am complexionem ipsius dictionis *substantiva*, vel *adjec-*  
*tiva* sequentis verbum; & rectæ ab eo.

7 Sed si talis dictio præcedat verbum, non appellat  
complexionem, sed solum suam formam, Ut *Deum, trinum,*  
*& unum cognovit Aristoteles*. Cujus sensus, est quòd Aristo-  
teles cognovit hoc, scilicet, Deum, qui est trinus, & unus.

8 Similitèr: *Deum trinum, & unum, Patrem, Filium, &*  
*Spiritum Sanctum, colunt, & credunt Judæi*. Sensus est, quòd  
Judæi credunt, & colunt Deum, qui est Unus, & trinus,  
Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & ita de similibus, quæ  
sunt veræ.

9 Sed istæ sunt falsæ. Aristoteles cognovit Deum tri-  
num, & unum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.  
Judæi credunt, & colunt. Deum trinum, & unum, Patrem,  
Filius, & Spiritum Sanctum. Quia sensus est quòd Aristo-  
teles

teles noverit Trinitatem, Unitatem, &c. Dei, & quòd  
Judei colunt Trinitatam, & Unitatem Dei, & Personas.

## PARS QUARTA.

### DE FLORIBVS ARBORIS LOGICALIS E QVIBVS *nacitur fructus.*

**A**Rgumentatio est *totalis oratio ex præmissis, & con-*  
*clusionem, sive ex antecedente, & consequente composita.*  
Cujus species quatuor sunt, scilicet Syllogismus. *Inductio,*  
*Enthymema, & Exemplum.*

#### CAP. I.

### DE SYLLOGISMO.

1 **S**Yllogismus est *argumentatio constituta ex tribus*  
*veris propositionibus.* Scilicet, primò ex majori  
propositione constituta ex *majori extremitate, & medio:*  
secundò ex minori propositione composita ex *medio iterum*  
*sumpto, & ex minore extremitate:* tertio ex *conclusionem*  
*composita ex majori extremitate, & minori.* Quæ con-  
clusio dicitur *directa*, quandò in ea *major extremitas præ-*  
*dicatur de minori;* Sed è *converso* est *indirecta.* Conditio-  
nes Syllogismi inter alias sunt tres.

2 Prima. Quòd *medium stet aequè, & indistinctè in*  
*utraque præmissarum.*

3 Secunda. Quòd *majori extremitati, vel minori, ni-*  
*hil sit additum inconvenientè, nec pro pluribus, nec*  
*pro alijs, nec magis largè sumantur in conclusionem, quàm*  
*sint mensuratae in præmissis, per ipsum medium terminum.*  
Et quòd neutra præmissarum sit *propositio multiplex.* Et  
quòd fiat *mutatio accidentium, scilicet casus, generis, &c.*  
secundum exigentiam Grammaticæ. Et quòd in prima fi-  
gura non sit plus *prædicatum in minori, quàm sit subjec-*  
*tum*



*tum* distributum in *majori*. Tertia, quòd ipse syllogismus fiat in debita *figura*, & *modo*.

4 Figura autem Syllogismi est *debita ordinatio terminorum in præmissis*, scilicet medij subjiciendo, & prædicando. Figuræ in Syllogismis sunt tres, ut patet per hunc versum.

Sub: præ. prima. Præ. bisque secunda. Tertia, sub bis.

5 Modus Syllogismi, est *propositionum debita ordinatio in quantitate, & qualitate*.

Modi primæ figuræ sunt. *Barbara, Celarem, Darij, Ferio*.

Secundæ sunt. *Cesare, Camestres, Festino, Baraco*.

Tertiæ *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Feriscõ*.

Istæ dictiones declarantur his versibus.

Asserit, *a*, negat, *e*, sed universalitèr ambæ.

Asserit, *i*, negat, *o*, sed particularitèr ambæ.

6 Conditiones generales ad omnes figuras Syllogismorum sunt quinque.

7 Prima. Quòd in omni Syllogismo sit aliqua præmissarum universalis, nisi sit Syllogismus demonstrativus, sivè expositorius, cujus medium est terminus singularis.

8 Secunda. Quòd in omni Syllogismo aliqua præmissarum sit affirmativa.

9 Tertia. Quòd si aliqua præmissarum sit particularis, conclusio quoque sit particularis, sed non è contrà.

10 Quarta. Quòd existente conclusione negativa, aliqua præmissarum sit negativa.

11 Quinta. Quòd *medium non ponatur in conclusione*.

## CAP. II.

### DE INDUCTIONE.

1 **I**nductio est *argumentatio in qua proceditur ab inferioribus sufficientèr numeratis, ad illarum immédia-*

*tam*

*tam universalem*; & fit tribus modis.

2 Primò procedendo à *singularibus*, ad *suam universalem*, Ut sic: Petrus est animal: Guilielmus est animal, & sic de alijs hominibus, vel, & non sunt plures: ergo omnis homo est animal.

3 Secundò procedendo ab *indefinitis*, vel *singularibus* ad *suam universalem genericam*, Ut homo aliquo tempore fuit in Archa Nòè, capra, gallina, & sic de alijs animalibus: ergo omne animal, aliquo tempore fuit in Arca Nòè. Et hoc est verum, si *ly omne* distribuatur pro generibus singulorum.

4 Tertiò procedendo ab *universalibus inferioribus* ad *universalem superiorem*, Ut omnis homo est per naturam bonus: omnis ovis: omnis lupo, & sic de alijs animalibus: ergo omne animal est per naturam bonum. Et hoc est verum, tam si *ly omne* tenetur pro singulis generum, quàm pro generibus singulorum.

### CAP. III.

#### DE ENTHYMEMATE.

**E**nthymema est *argumentatio in qua premissa majore, vel minore non explicata, immediate infertur conclusio*, Ut omne ens est amabile: ergo magnitudo est amabilis. Et Enthymema fieri potest secundum quemlibet modum cujuslibet figuræ Syllogismorum, dupliciter scilicet, prætermittendo *majorem*, vel *minorem*. Et explicata propositione, quæ defuerit, reducitur Enthymema ad perfectum Syllogismum, Ut sic: Omne bonum est ens: ergo omne magnum est ens; explicando hanc majorem: omne magnum est bonum, fiet perfectus Syllogismus in Barbara.

### CAP. IV.

DE

## DE EXEMPLO.

1 **E**Xemplum est argumentatio, in qua proceditur ab uno particulari ad aliud; per aliquod simile in eis repertum, & eis commune principium continens ipsa duo particularia, Ut sic: Florentinos pugnare contra Pisanos est malum: ergo Panormitas contra Drepanenses pugnare malum est. Simile, & commune principium in his repertum, cujus virtute sequitur prædictum consequens, est hoc: finitimos laceffere finitimos, certè *malum est*. Et facile potest reduci ad Syllogismum: & ita de alijs suo modo.

## CAP. V.

## DE ANTECEDENTE, ET CONSEQUENTE.

1 **A**ntecedens est id quod ponit in necessitate id quod per ipsum sequitur.

2 Consequens est quod necessitatem antè se ostendit. In rerum natura existit reale, & naturale antecedens, & consequens, in quibus realitèr naturalitèr existit realis, & naturalis consequentia, quæ extra Logicam, & suam mentalem considerationem habet esse; & hoc patet investiganti principium, medium, & finem in rebus naturalibus.

3 Sed in hoc tractatulo decet eam Logicalitèr definiri. Dico igitur, quòd *consequentia* (Logicalitèr) est *quedam aggregatio antecedentis, & consequentis*, in qua denotatur prioritas antecedentis, & posterioritas consequentis. Dico autem prioritatem, ratione principij *Efficientis, Formalis, Materialis, & Finalis*. Notandum tamen, quòd id, quod in re est antecedens, in ratione nostra, & cognitione potest esse consequens, & è contra.

## CAP. VI.

## DE LOCIS.

1 **L**ocus est progressus ab uno complexo ad alterum, vel ad se ipsum sub alia conditione sumptum,

Vt

Ut ab *Entitate* ad *Bonitatem*, *Magnitudinem*, *Duratio-*  
*nem*, *Potestatem*, &c.

*Ab esse ad esse.* â *Proprietate ad subjectum.* â *Potentia*  
*ad actum*, & *objectum.* Ab *Actu* ad *potentiam*, & *objec-*  
*tum.* â *Causa ad causatum.* â *Forma ad materiam.* Ab  
*Inferiori* ad *suum superius.* Ab *appropriato*, ad *proprium.*  
â *Differentia ad pluralitatem.* â *Concordantia ad diffe-*  
*rentiam.* â *Contrarietate ad differentiam.* â *Principio ad*  
*finem.* â *Medio ad extrema.* â *Majoritate ad minorita-*  
*tem.* Ab *Æquali* ad *equale sibi.* â *Finito ad infinitum.* â  
*substantia finita ad accidens.* Ab *Vno predicamento* ad *alia*,  
& ad *prædicabilia.* Ab *Vno prædicabili* ad *alia.* â *Toto*  
ad *suas partes.* â *Disparato* ad *disparatum.* â *Privatione*  
ad *habutum.* Ab *Vna parte seu proprietate essentiali* ad  
*aliam.* Ab *Affirmatione* ad *negationem.*

2 Et sic de pluribus locis alijs, qui continentur in  
mixtione Principiorũ, & Regularũ ARTIS GENERALIS,  
& suarum specierum, ex quibus componitur Figura Cir-  
cularis contenta in fine hujus Libri. Ex prædictis tamen  
locis, modò educuntur consequentiæ affirmativæ, modò  
negativæ, modò utræque, diversis modis, quod cognosci  
potest discurrendo per nominatam Figuram Circularem,  
eligendo conclusionem sive affirmativam, sive negativam,  
dum tamen natura, & definitiones, & mixtio Pricipio-  
rum, & Regularum meliùs conserventur. Et pro majori  
declaratione omnium prædictorum, & causâ exempli,  
& practicæ ipsius Figuræ, & ut major habeatur materia  
arguendi, ponuntur sequentes Regulæ consequentiarum,  
& locorum.

## CAP. VII.

### DE REGVLIS LOCORVM.

I **R**egula. *Ex veris non sequitur nisi verum*, Ut  
homo est: ergo animal est. *Ex falsis quando-*  
*que*

*que verum, quandoque falsum, Ut homo est asinus: ergo homo est animal, vel, ergo homo non habet animam rati-  
onalem.*

2 Regula. *In omni bona, & formali consequentia, quid-  
quid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens illius con-  
sequentis.* Sequitur enim: *animal currit: ergo corpus cur-  
rit. Corpus currit: ergo substantia currit.* Si igitur animal  
currit, substantia currit; Et è conversò quidquid antecedit  
antecedens, antecedit consequens illius antecedentis, Ut si  
homo est, animal est: ergo si Sortes est, animal est, quia Sor-  
tes antecedit ad hominem, & homo ad animal. Ideò argu-  
endo à primo ad ultimum, procedendo per medium conti-  
nuum, non variando ipsum, est consequentia bona, Ut ho-  
mo currit: ergo animal, & ultra currit. Animal currit, er-  
go corpus currit: ergo substantia currit.

3 Regula. *Omnis consequentia, cujus antecedens cum op-  
posito contrario consequentis in veritate non concordat est  
bona, & vera argumentatio,* Ut omnis homo est animal: er-  
go quidam homo est animal. Consequentia est bona, quia  
antecedens, scilicet, omnis homo est animal, non concor-  
dat in veritate cum opposito contrario consequentis, quod  
est: nullus homo est animal.

4 Regula. *Ex opposito contradictorio consequentis bonæ  
consequentia, sequitur oppositum contradictorium sui antece-  
dentis,* Ut si benè sequitur: *homo currit: ergo animal currit;*  
etiam sequitur benè: *nullum animal currit: ergo nullus  
homo currit.*

5 Regula. *Arguendo à particulari ad suam indefini-  
tam, est bona consequentia, tam affirmativè, quàm negati-  
vè,* Ut aliquis homo currit: ergo homo currit.

6 Regula. *Arguendo ab universali ad suam particula-  
rem, indefinitam, & singularem in terminis pro aliquo sup-  
ponentibus, est bona consequentia, Ut Omnis homo currit:*

Ff

ergo

ergo *Petrus currit. Nullus homo currit: ergo homo non currit.* Et è contrà: ab omnibus singularibus simul sumptis ad suam universalem, est consequentia bona inductiva. Ut, *Petrus currit, & sic de omnibus alijs: ergo omnis homo currit.*

7 Regula. Arguendo à veritate unius Contradictoriæ ad falsitatem alterius est consequentia bona, & è contra in quavis materia. Similitèr est de Contrarijs, *præterquam in materia contingenti*, in qua duæ Contrariæ possunt simul esse falsæ; sed in nulla materia possunt simul esse veræ; sed Subcontrariæ possunt simul esse veræ in materia contingenti; nunquam tamen simul falsæ. Sed in materia naturali, & remota, una Contraria, vel etiam Subcontraria existente falsa, reliqua est vera, & è contrà. In Subalternis, si universalis sit vera, ambæ sunt veræ, & particulari existente falsa, ambæ sunt falsæ. Particularis tamen potest esse vera, universali sua existente falsa, & hoc solùm *in contingenti materia.*

8 Regula. A toto copulato, seu à tota copulativa, ad alteram ejus partem, est consequentia bona, tam divisim, quàm conjunctim. Et loquendo de toto copulato, habet verum, si *ly, et*, teneatur distributivè, & non collectivè; sed à parte copulati, vel copulativæ, ad copulatum, vel copulativum, non valet consequentia, nisi aliquando gratia terminorum, ut *homo currit: ergo homo currit, & animal currit.*

9 Regula. A toto disjuncto, seu à tota disjunctiva ad alteram ejus partem, cum destructione, vel opposito alterius partis, est bona consequentia, Ut *tu es homo, vel tu es asinus, sed tu no es asinus: ergo es homo.* Tamen in divisione habente plura membra, quàm duo, omnia membra debent destrui, præter unum, quod debet affirmari, Ut *Iste Canis, vel est Canis marinus, vel caeleste Sydus, vel Canis latrabilis, sed non est Canis marinus, neque*

*que signum caeleste : ergo est Canis latrabilis.*

10 Regula. Ab exclusiva ad suam præjacentem est bona consequentia. Et dicitur præjafens, totum hoc quod remanet dempta *dictione exponibili*, Ut *Tantum homo currit* : ergo homo currit.

11 Regula. Ab exclusiva affirmativa, ad exceptivam negativam, & è contra, est bona consequentia, Ut *Tantum homo currit* : ergo *nullum ens præter hominem currit*, & è contra.

12 Regula. A *conversa*, ad convertentem, ab *equivalente*, ad eam cui æquivalet, ab *exponente totali*, ad exponentam suam, à *resolubili*, ad eam in quam resolvitur, est consequentia bona, & è contra, in his, quæ modò diximus. Verba autem resolvuntur in *sum es fui*, & termini *communes in singulares*, obliqui *in rectos*, omnes modi ad *indicativum*, omnia tempora *ad præsens*.

13 Regula. Omnis affirmatio *Prædestinationis* facta sinè affirmatione *Divinæ Justitiæ*, producit falsam negationem contra libertatem.

14 Regula. Omnis affirmatio *Divinæ Justitiæ*, facta sinè affirmatione *Sapientiæ Divinæ*, producit falsam negationem contra *Prædestinationem*.

15 Regula. A *definitione* ad definitum, à *descriptione* ad descriptum, ab *interpretatione* ad suum interpretatum, & è contrà, est bona consequentia. Ut *Substantia, in qua anima rationalis, & corpus conjunguntur est* : ergo *homo est*.

16 Regula. A *differentia* constitutiva definitionis speciei, ad suam speciem, & è contrà, est bona consequentia, hoc modo: *sentiens est* : ergo *animal est*.

17 Regula. A proprietate, seu propria passione ad suum proprium subjectum, consequentia est bona, Ut *Risibilitas est* : ergo *homo est*.

18 Regula. Ab uno synonymo ad aliud est consequentia

tia

tia bona, Ut *gladius est: ergo ensis est.*

19 Regula. De quocumque affirmatur pars subjecta, vel inferius, de eodem affirmatur suum totum universale, vel superius. Et quidquid affirmatur de inferiori, & de superiori suo, Ut *Sortes est homo: ergo Sortes est animal. Homo currit: ergo animal currit.*

20 Regula. A quocumque removetur, totum universale, vel superius, ab eo removetur, ejus pars subjecta, vel inferius, Ut *accidens non est substantia: ergo accidens non est corpus, nec animal, nec homo, &c.*

21 Regula. Arguendo negativè à parte subjectiva ad suum totum universale, subjiciendo utrumque, postposita negatione, est consequentia bona in terminis supponentibus pro aliquo, Ut *Homo non est asinus: ergo animal non est asinus*; Sed à parte subjectiva, ad suum totum universale, non tenet, cum dictione includente negationem, Ut *Petrus incipit esse albus: ergo Petrus incipit esse coloratus*: Et sic de *Verbis differt, desinit, & similibus.*

22 Regula. A toto integrali ad suas partes, sinè quibus esse non potest, subjiciendo utrumque, est bona consequentia cum hoc verbo, *est* secundò adjacente, Ut *Domus est: ergo paries est.*

23 Regula. Arguendo à toto integrali, cum hoc verbo *est* tertio adjacente, ad suas partes, antecedente existente affirmato, & consequente negato, prædicante utroque, est consequentia bona, Ut *hoc est domus: ergo hoc non est paries*; & è contrà, *hoc est paries: ergo hoc non est domus*, nisi pars, & totum haberent eandem denominationem, qualia sunt *omogenea*, sicut quælibet pars Ignis est Ignis; vel nisi pars, & totum significarent idem; quod dico proptèr definitionem, cujus partes verificantur affirmativè de illo, de quo definitio verificatur. Nam sicut hæc est vera: *homo est animal rationale mortale: ita est verū, quòd homo est rationalis*



24 Regula. Si hoc verbum *est* negativè prædicatur de parte principali, finè qua totum non potest esse, etiam prædicatur negativè de toto integrali, Ut *cor hominis non est: ergo homo non est.*

25 Regula. Arguendo à toto in modo negativè, ad suam partem, utroque prædicante, est consequentia bona, Ut *lapis non est homo: ergo lapis non est homo albus.*

26 Regula. Quidquid prædicatur de parte in modo, prædicatur, & de toto in modo, Ut *homo albus currit: ergo homo currit.* Et è contrà, de quocumque prædicatur pars, in modo, etiam totum in modo, Ut *Sortes est homo albus: ergo Sortes est homo.*

27 Regula. Arguendo negativè à parte, in modo, ad suum totum, utroque subjiciente, & negatione, utriusque postposita, est bona consequentia, Ut *Homo albus non est asinus: ergo homo non est asinus.* Sed nota, quòd locus à toto in modo ad suam partem, vel è contrà, non tenet cum *determinatione distrahente*, vel *diminvente*, Ut *generabilis, generandus, opinabile*, nec tenet cum verbis significantibus *desyderium, appetitum*, vel *actum voluntatis, & anima*, nec cum istis: *incipit: desinit*, & sic de similibus.

28 Regula. Cuicumque convenit totum in loco, & pars in loco, Ut *Deus est ubique: ergo Deus est hìc, illic.* Et à quocumque removetur totum in loco, & pars in loco, Ut *nusquam est Chymera: ergo hìc non est Chymera, illic non est Chymera.*

29 Regula. De quocumque affirmantur, vel negantur omnes partes in loco, & totum in loco, Ut. *Deus est intus, Deus est foris: ergo Deus est ubique.* Item *Cæsar non est hìc, Cæsar non est illic, intus, foris, &c. ergo Cæsar est nusquam.* Vel etiam arguendo à parte in loco ad suum totum affirmativum, valet consequentia, negatione præcedente utrumque, Ut. *Cæsar non est hìc: ergo Cæsar non est ubique.*

30 Regula. Cuicumque convenit, vel à quocumque removetur totum in tempore, & pars in tempore, Ut *semper fuit Deus: ergo heri fuit Deus. Nunquam fuit Chymera: ergo heri non fuit Chymera.* Sed hic locus non tenet, nisi tale verbum ponatur in consequente, sicut in antecedente, & cum adverbio apto determinare tale verbum. Ideoque non valet: *semper fuit Deus: ergo cras fuit Deus.*

31 Regula. Cuicumque conveniunt, vel à quocumque removentur omnes partes in tempore, & totum in tempore, Ut *Deus fuit heri, & nudus tertius, & ita de alijs retró temporibus: ergo semper fuit Deus. Chymera non fuit heri, nec nudus tertius, & ita de alijs diebus anté: ergo Chymera nunquam fuit.* Vel remota una parte in tempore removetur suum totum affirmativum, Ut *Antichristus non erit cras: ergo Antichristus non erit semper.*

32 Regula. Si hoc verbum *est* secundum adjacens verificetur de toto colectivo, & de qualibet sui parte, sinè qua tale totum non potest esse: Et hoc aliquando tenet cum alio verbo, Ut *exercitus, vel populus currit: ergo homo currit.* Similitè tenet cum isto verbo *est* tertio adjacente, cum aliquibus tamen prædicatis convenientibus toti, & partibus, Ut *populus est albus: ergo homo est albus, vel alba.*

33 Regula. Quidquid prædicatur de toto numerali, & de qualibet ejus parte, Ut *decem homines currunt: ergo quinque homines currunt.* Sed non tenet nisi cum prædicatis convenientibus toti, & partibus: Unde hic non sequitur: *decem homines possunt trahere navem: ergo duo homines possunt trahere navem;* quia esset contra locum qui non tenet affirmativè in talibus prædicatis; sed negativè, Ut *decem non possunt trahere navem: ergo nec unus.*

34 Regula. A quocumque removetur pars numeralis, & totum numerale, *negatione* præcedente utrumque, Ut *isti homines non sunt quinque: ergo non sunt decem.*

35 Regula. Si singulare verificatur de singulari, & plurale de plurali, Ut *homo est animal*: ergo *homines sunt animalia*. Etiam negativè tenet regula, Ut *homo non est asinus*: ergo *homines non sunt asini*; Sed non tenet in terminis non supponentibus pro aliquo, neque in prædicato verificabili de subjecto antecedentis per accidens, & sub disjunctione, neque in obliquis, Ut *Sol est substantia*: ergo *Soles sunt substantia*. *Omnis homo est cæcus, vel videns*: ergo *omnes homines sunt cæci, vel videntes*. *Hominis est asinus*: ergo *hominum sunt asini*. Non valent hæ consequentiæ.

36 Regula. Ab esse causæ ad esse effectus, est bona consequentia, attento tempore, & modo secundum actum, & potentiam, hoc modo. *Causa est*: ergo *effectus est, vel erit, vel potest esse, vel fuit*.

37 Regula. Arguendo affirmativè à posteriori ad suum prius est bona consequentia, Ut *calefacere aëris est*: ergo *calefacere ignis est*. Similiter. *Sortem panitet*: ergo *peccavit*.

38 Regula. Arguendo negativè, ab accidente priori ad accidens posterius, est bona consequentia, Ut *calefacere ignis non est*: ergo *calefacere aëris non est*.

39 Regula. Arguendo ab una propositione de præsentis, in qua unum contrarium verificatur de aliquo subjecto ad aliam propositionem de præsentis, in qua reliquum contrarium negatur de eodem subjecto, est bona consequentia, Ut. *Sortes est albus*: ergo *Sortes non est niger*. Et è contrà tenet negativè, in contrarijs immediatis, Ut. *Sortes non est sanus*: ergo *est ager*. Si tamen subjectum sit aptum informari à tali prædicato, aliquando non sequitur, Ut. *Lapis non est ager*: ergo *est sanus*.

40 Regula. Si unum contrarium verificatur de aliquo sibi inferiori, etiam reliquum contrarium verificatur de suo inferiori contrario ipsi inferiori alterius, Ut: *injustitia est vitium*: ergo *Justitia est virtus*. Et intelligitur hoc  
de

de contrarijs immediatis, de effectu cujus non sequitur: prodigalitas est vitium: ergo avaritia est virtus; quia inter hæc extrema, liberalitas est medium.

41 Regula. Si unum disparatum affirmatur de aliquo subjecto, reliquum negatur, Ut: *Sortes est homo*: ergo *Sortes non est asinus*. Et tenet in terminis absolutis substantivis, & non connotativis. Ideò non sequitur. *Sortes est Pater*: ergo *non est Filius*. Nec sequitur: *Lac est Dulce*: ergo *non est album*.

42 Regula. Si id quod magis videtur inesse, non inest, nec id, quod minus, Ut. *Rex non potest expugnare Civitatem*: ergo *nec Miles sibi subditus*.

43 Regula. Si id quod minus videtur inesse, inest, & id quod magis, Ut. *Vnus Miles simplex potest Castrum expugnare*: ergo *Rex potest*. Sed isti duo loci solùm tenent, quoad proprietatem convenientem majori, & minori, in qua majus excedat minus. Ideoque non valet: *equus non potest transire per foramen parvum*: ergo *nec mus*; quia quoad hoc major est mus, quàm equus.

44 Regula. De similibus, equalibus, & proportionem habentibus, simile est judicium, & tenet consequentia affirmativè, & negativè, Ut: *latrare inest cani, ut proprium*: ergo *ridere inest homini, Ut proprium*. *Desiccare non est proprium igni*: ergo *calescere non est proprium aëri*. *Bonitas est potens*: ergo *Duratio est potens*. *Sapientia est infinita*: ergo *Veritas est infinita*. *Deus est equalitèr bonus, & verus*: ergo *in ipso Veritas, & Bonitas sunt aequales*. *Deus est equalitèr intelligibilis, & amabilis ab Angelo*: ergo *Angelus potest equalitèr intelligere, & amare Deum*. *Angelus aequè intelligit, & amat Deum*: ergo *Intellectus, & voluntas in Angelo sunt aequales*. *Agere, & pati in supposito sunt equalia*: ergo *actio, & passio sunt aequales*. *Actio, & passio sunt aequales*: ergo *forma, & materia sunt aequales*. Tantum

tum patitur materia, quantum forma agit: ergo suppositum est equaliter constitutum ex eis. Tantum distat ens a malitia, per Bonitatem, quantum a falsitate per veritatem: ergo tanta est in ente Bonitas, quanta veritas. Vbi tanta est Bonitas, quanta Sapiencia: tantum est bonificare, quantum scire. In pipere est caliditas in quarto gradu: ergo est siccitas in tertio, humiditas in secundo, & frigiditas in primo; & per consequens calefacere in quarto, desiccare in tertio, humefacere in secundo, & infrigidare in primo. Et consequenter Bonitas ignis est in quarto gradu in pipere, Bonitas terræ in tertio, Bonitas àëris in secundo, & Bonitas aquæ in primo gradu: & per consequens bonificare ignis, ibi est in quarto, terræ in tertio, àëris in secundo, & tandem bonificare aquæ ibi est in primo gradu. Itaque potest fieri processus a qualitate ad qualitatem, de qualitate ad actum, de actu ad actum, & de primis principijs inter se, ad suos actus.

45 Regula. Unicuique probo viro per veram demonstrationem, vel per experientiam, vel Grammaticam infusam experto in sua scientia, credendum est: Ut Christus dicit loquens de se ipso: *Ego, & Pater unum sumus*: ergo sic est verum. Et non tenet negativè; ideoque non valet: *aliquis Doctor non dic hoc sic esse: ergo non est sic.*

46 Regula. De quolibet termino pro aliquo supponente verificatur alterum contradictorium incomplexum, & de nullo, ambo simul, eodem respectu, Ut *Deus est ens, vel non ens, bonus, vel non bonus.*

47 Regula. Arguendo à propositione affirmativa de presenti in recto de prædicato infinito, ad negativam de prædicato finito, est bona consequentia, Ut *Sortes est non albus: ergo Sortes non est albus.* Et è contra tenet.

48 Regula. Arguendo à propositione affirmativa de presenti in recto, de prædicato finito ad negativam de prædicato infinito, est bona consequentia, Ut *Sortes est albus:*

G g

ergo

ergo *Sortes non est non albus*. Et è contra tenet consequentia.

49 Regula. Attentis in subjecto *aptitudine*, & *proportione* mediij ad objectum, & *tempore*, & *loco*, & *parte* determinatis in terminis pro aliquo supponentibus, est bona consequentia arguendo propositione, in qua terminus significans habitum, affirmatur de aliquo subjecto ad propositionem, in qua terminus significans privationem illius habitus negatur de eodem subjecto, & è contra, Ut *Sortes est videns*: ergo *Sortes non est cecus*. *Sortes non est videns*: ergo *Sortes est cecus*. *Sortes est surdus*: ergo *non est audiens*. *Sortes non est surdus*: ergo *est audiens*.

50 Regula. Arguendo ab uno *relativo* ad alterum, vel ad aliud cum isto verbo *est*, vel *fuit* secundo adjacente, vel cum hoc verbo *potest*, est bona consequentia, Ut *Pater est*: ergo *Filius est*, & è contra. *Posterius est*: ergo *prius est*, vel *fuit*. *Prius est*: ergo *posterius est* vel *erit*, vel *potest esse*.

51 Regula. Si *concretum* de concreto prædicatur, & *abstractum* de abstracto, si sint ordinata, secundum *superius*, & *inferius*, Ut *album est coloratum*: ergo *albedo est color*. Hæc tamen Regula non intelligitur de *ultimaté abstractis*, quales sunt ultimæ differentiæ, sicut non sequitur: *homo est animal*: ergo *humanitas est animalitas*.

52 Regula. A propositione *universalinegativa*, in qua unum concretum universaliter negatur de aliquo, ad negativam in qua abstractum illius negatur de abstracto alterius est bona consequentia tam in terminis *substantivis*, quàm *accidentalibus*, Ut *nullus homo est asinus*: ergo *nulla humanitas est asinitas*. *Nullum album est nigrum*: ergo *nulla albedo est nigredo*.

53 Regula. Arguendo à propositione in qua unum concretum affirmatur de aliquo concreto, vel unum abstractum de alio abstracto, ad aliam propositionem in qua unum adverbium derivatum à prædictis concretis, vel abstractis

tractis affirmatur de alio, est bona consequentia, Ut *justum est bonum: ergo quod juste fit, bene fit. Justitia est virtus: ergo justé vivere est virtuosé vivere. Vitium est malum: ergo quod vitiosé fit malé fit.*

## CAP. VIII.

### DE DEMONSTRATIONIBVS.

**D**emonstratio est *alicujus ignoti per aliquod notum, vel minus noti, per aliquod magis notum cognitio seu manifestatio intellectui.* Cujus species sunt tres, scilicet, *per Quid, per Quia, & per Æquiparantiam.*

### DE DEMONSTRATIONE PER QUID.

**1** **D**emonstratio per Quid est, *quando effectus demonstrantur per causam, vel inferius seu posterius per superius, sive prius.* Et potest fieri tribus modis.

2 Primus est quum causa simpliciter demonstrat effectum suum, ut si per Bonitatem demonstretur bonum, per Magnitudinem magnum, per veritatem, & Bonitatem verum, & bonum, per animam, & corpus, homo demonstratur. Per prius, sicut, si per animal demonstretur hominem esse substantiam, quia animal est supra hominem, & substantia supra animal, & sic de cæteris.

3 Secundus est, quando causa demonstrans effectum, demonstrat ipsum esse causam alterius effectus, Ut Bonitas, & Magnitudo constituentem formam, & materiam demonstrant eas esse causas suppositi.

4 Tertius est, quando causa demonstrat de suo effectu quod ipse est effectus alterius causæ, Ut si Bonitas demonstrat bonum esse effectum alterius causæ, scilicet Magnitudinis, Durationis, & cæterorum transcendentium, & hoc in quantum ipsum bonum est magnum, durans, &c. Similiter ignis demonstrans bonum suppositum igneum, demonstrat ipsum esse effectum terræ, ut est siccum, & aliorum elementorum suis modis.

DE

## DE DEMONSTRATIONE PER QVIA.

1 **D**emonstratio per Quia est, quando per effectum causa demonstratur. Vel etiam quando per inferius, seu posterius demonstratur superius, vel prius. Et potest fieri tribus modis.

2 Primò simpliciter de effectu ad causam, Ut quia bonum est, Bonitas est. Calidum est: ergo caliditas est. Scientia est: ergo intellectus est. Homo est: ergo anima, & corpus sunt. Itaque effectus potest demonstrare causam efficientem, formalem, materialem, & finalem. Efficientem.

N. B. Ut bona operatio est: ergo bonificans est. Formalem: ergo bonitas est. Materialem: ergo bonificatum est. Finalem: ergo bonus finis est.

3 Secundò, quando effectus probat causam suam esse effectum alterius causæ, Ut imago, seu figura, vel quæcumque res artificiata demonstrans imaginationem, unde æducta est, demonstrat eam esse effectum talis artificis.

4 Tertiò, quando effectus demonstrat causam suam esse causam alterius effectus, Ut bonum demonstrans Bonitatem suam, esse causam magni, & magnum demonstrans Magnitudinem suam, esse causam boni, & alia suo modo.

## DE DEMONSTRATIONE PER ÆQUIPARANTIAM.

1 **D**emonstratio per Æquiparantiam est quando per aliquod æquale notum, aliud æquale ignotum demonstratur, vel æquale minus notum, per æquale majus notum. Æqualitas enim est in re, & inæqualitas in nostra cognitione, quæ de rebus in se æqualibus potest esse inæqualis. Et fit demonstratio tribus modis.

2 Primus, quando potentia demonstratur per potentiam, vel actus per actum. De primo sic: Infinita Bonitas est: ergo Infinita Duratio est. de secundo sic: infinitum intelligere est: ergo infinitum amare est.

3 Secun-



3 Secundus, quando per æqualitatem potentiæ probatur æqualitas actuum, Ut sic Immensa Sapiencia, & voluntas sunt: ergo infinitum scire, & infinitum amare sunt.

4 Tertio quando per æqualitatem actuum, demonstratur, & dignitatum, ut sic: æternum intelligere, & amare sunt: ergo æternus intellectus, & amor sunt. Demonstratione Æquiparantiæ potest etiam demonstrari agens, passum seu productum per actum, & è converso, scilicet, per agens passum, & actus, & per passum, actus, & agens: Ut ubi est intelligere æternum, & infinitum, sunt intelligens, & intellectus æterni, & infiniti, sed in prima causa est intelligere æternum, & infinitum: ergo in prima causa sunt intelligens, & intellectus æterni, & infiniti. Et de alijs rationibus suo modo.

5 Et hæc Demonstratio est potior, quàm illa de quid, & de quia, & illa de quid, quàm illa de quia. Hæc enim Demonstratio per æquiparantiam maximè, & propriissimè fit in Deo, in quo majus, & minus sunt impossibilia; sed potest fieri secundum suas tres species in hijs inferioribus, in quolibet suo modo.

6 Et istas tres species Demonstrationis debet Logicus syllogisticè, enthimematicè, & exemplariter praticare, probando suum propositum uno trium modorum, vel duobus, vel omnibus, scilicet, per propositiones simpliciter necessarias, Ut *omne bonum est magnum; omne ens est bonum: ergo omne ens est magnum*. Vel per aliquam necessariam, & aliam non necessariam, Ut *omnis luxuriosus est peccator; Petrus est luxuriosus: ergo Petrus est peccator*. Vel per propositiones non necessarias simpliciter, sicut per authoritates, aut in Jure per textus, vel testes. Hæc autem probatio potest esse vera, & non vera, quia potest se habere ad utrumlibet. Ideoque dicitur non necessaria.

PARS QUINTA DE FOLIJS ARBORIS LOGICALIS  
custodientibus fructum à macula.

## DE PARALLOGISMO.

1 **P**arallogismus est *argumentatio indicans esse verum, quod falsum est, & falsum, quod verum est.* Et dicitur Parallogismus, quasi apparens Syllogismus, sed in rei veritate non est Syllogismus, ut per Syllogismi definitionem constare potest.

2 Diversitas *medij*, sive deviatio, vel variatio est genus Parallogismorum sive fallatiarum, concurrente aliqua concordantia cum vero, quæ sit causa apparientia Parallogismi. Hoc genus, quod est *medij* diversitas, habet duas species, scilicet, *in dictione, & extra dictionem.*

3 Diversitas *medij* in *dictione*, sex modis generaliter contingit, secundum quos fallatiæ in dictione sunt sex. Prima est *equivocationis*; secunda *amphibologiae*, tertia *compositionis*, quarta *divisionis*; quinta *accentus*, sexta *figura dictionis*. Quælibet istarum habet suos modos proprios.

4 Diversitas *medij* extra dictionem fit septem modis generaliter, secundum quos fallatiæ extra dictionem sunt septem. Et habent suos modos, ut dicetur.

## CAP. II.

## DE FALLATIA ÆQUIVOCATIONIS.

1 **F**allatia Æquivocationis est *deceptio proveniens ex eo, quod aliquando dictio plura diversimodè significat.* Et habet tres modos secundum quos tripliciter potest fieri sophisticatio per hanc Fallatiam.

2 Primus, quando aliqua dictio *significat equaliter* plura diversimodè; sicut hæc dictio *Canis* significat *animal latrabile, quemdam piscem, & Sydus caeleste.* Et per hunc modum posset sic formari Parallogismus *Omni Cani convenit latrabilitas; sed quidam piscis, & stella sunt canes: ergo eis convenit latrabilitas.* Major potest simpliciter negari, vel

per

per differentiam distingui. Peccat autem per diversitatem *medij*, quia in una præmissa ly *Canis simpliciter* pro uno significato sumitur, & in altera pro alio.

3 Secundus provenit ex eo quod eadem dictio secundum *prius*, & *posterius* significatum, diversa significat, Ut sic: *Omne videns habet os; pratum est videns: ergo pratum habet os.* Peccat per diversitatem *medij*, quoniam ly *rideo* de primario significato significat illum actum *humanae letitiae* provenientem ex quadam proprietate, quæ dicitur risibilitas. Sed per posterius, sive per quamdam transumptionem, significat floritionem prati, seu campi. Ideò in altera præmissarum stat *medium* pro significato *priori*, & in altera *pro posteriori*.

4 Tertius modus provenit ex diversa *consignificatione dictionis*, quæ attenditur secundum diversa accidentia, Ut secundum diversum numerum, tempus, &c. Ut *Quicumque surgebat stat; sedens surgebat: ergo sedens stat.* Peccat per *medij* diversitatem in tempore, quia *medium* in una respicit unum tempus, in alia aliud, cum sedere sit in facto esse, & surgere in fieri.

5 Etiam, quia *medium* mensurat minorem extremitatem secundum tempus præteritum in minore; & ipsa minor extremitas, scilicet, ly *sedens* exit in conclusione secundum præsens tempus. Similiter hic. *Quicumque sanabatur sanus est; ægrotus sanabatur: ergo ægrotus sanus est.*

### CAP. III.

#### DE FALLATIA AMPHIBOLOGIÆ.

1 **F**Allatia Amphibologiæ est deceptio proveniens ex eo quod eadem oratio una penitus, plura significat. Sicut enim æquivocatio provenit ex eo quòd eadem dictio plura significat, ita Amphibologia provenit ex

eo quòd eadem oratio plura significat. Habet autem hæc Fallatia tres modos.

2 Primus provenit ex eo, quòd eadem oratio plura significat, manente eadem constructione propter diversum respectum constructorum, Ut Quidquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele, hic liber est Aristotelis: ergo possidetur ab eo. Peccat per mediij diversitatem, quia hoc complexum: *liber Aristotelis*: plura significat secundum diversum respectum. Potest enim dicere respectum effectus ad suam causam, seu authorem, vel possessi ad possidentem, manente utrobique eadem constructione. Talis diversitas, & deceptio cognoscitur in tertia specie Tertiæ Regulæ, & in speciebus principij, scilicet, efficientis, &c. Quoniam ille genitivus *Aristotelis* in una præmissarum dicit causam efficientem, in alia verò possessorem libri.

3 Secundus provenit ex eo quòd aliqua oratio significat aliquid primariò, aliud autem transumptivè, sicut hæc oratio: *littus aratur*, principalitèr significat littoris sectionem, secundariò autem, & transumptivè significat operis amissionem. Et Parallogismus fit sic. Quandocumque *littus aratur*, terra scinditur; sed quando indocilis docetur *littus aratur*: ergo quando indocilis docetur, terra scinditur. Peccat per diversitatem mediij, quia in prima propositione, oratio prædicta stat in proprio, seu primario significato; in alia autem pro secundario, seu transumptivo. Hanc autem deceptionem manifestat sexta Regula Artis cum suis speciebus.

4 Tertius provenit ex eo quod eadem oratio, diversa significat propter diversam partium constructionem. Nam una, & eadem dictio potest construi transitivè, vel intransitivè; sicut hìc: *pomum comedit animal*: quosque volo me convertere, volo, ut ipsi convertant me. Nam *ly pomum*, & *ly me* possunt poni in activo transitivè, vel intransitivè.

Hæc

Hæc Fallatia magnam habet similitudinem cum Fallatia Æquivocationis, & ideò debet diligentèr attendi differentia earum.

CAP. IV.

DE FALLATIA COMPOSITIONIS.

1 **F**allatia Compositionis est deceptio proveniens ex potentiali multiplicitate alicujus orationis. Cujus dictiones possunt diversimodè componi ad invicem, & in sensu composito, oratio est falsa, in diviso, vera. Hujus Fallatiæ duo sunt modi.

2 Primus provenit ex eo quòd aliquod dictum potest supponere alicui verbo pro se toto, vel pro parte sua, Ut Quècumque ambulare est possibile, contingit quòd ipse ambulet; sedentem ambulare est possibile: ergo contingit quòd sedens ambulet. Minor est duplex per differentiam, quia si hoc dictum *sedentem ambulare*, pro se toto subjicitur, huic prædicato *possibile*, sic est unus sensus, & falsus; nam significat duos actus oppositos, ut sedere, & ambulare, eidem subjecto simul inesse, quod est falsum, sicut hæc est falsa: *sedens ambulat*, est possibilis propositio.

3 Si autem illud dictum stet pro parte sua, scilicet, pro subjecto ipsius dicti, tunc est sensus verus, quòd sedens habet potentiam ambulandi, non ut sedens est. Undè ista, & similes peccant in diversitate mediij, quod in una præmissa stat in sensu composito; in alia, in sensu diviso, intèr quos non modica est differentia. Similitèr est de ista: *non scribentem scribere, est possibile*, & de similibus. In his autem sit prudens Artista, nè sophista per frequentem multiplicationem verborum pervertat reales conditiones possibilis, & impossibilis, necessarij, & contingentis, supradictas in suo Capitulo.

4 Secundus modus provenit ex eo quòd aliqua dictio

in ratione posita potest esse determinatio diversorum, Ut Quidquid vivit semper est; Sortes vivit: ergo Sortes semper est. Major est duplex per differentiam, quia *ly semper* potest determinare *ly vivit*, & tunc est sensus verus; vel *ly est*, & sic est falsus.

5 Causatur autem deceptio per diversitatem mediij in majoritate, & minoritate. Medium namque æqualitèr debet esse in utraque præmissarum, non de pluribus terminis in una: quàm in alia. Similitèr hìc: Scientiam quam scis nunc, nescire est possibile: ergo scientiam quam scis, nescire nunc est possibile. Hæc dictio *nunc* potest determinare hoc verbum *scis*; vel hoc verbum *nescire*, & sic de similibus. Vel sic: Quicumque litteras scit nunc: didicit eas; sed iste antiquus Grammaticus scit litteras: ergo nunc didicit eas; quod est falsum.

## CAP. V.

### DE FALLATIA DIVISIONIS.

1 **F**Allatia Divisionis est deceptio proveniens ex potentiali multiplicitate alicujus orationis, cujus dictiones ab invicem dividi possunt, & in sensu diviso faciunt propositionem falsam; in composito veram. Habet hæc Fallatia duos modos.

2 Primus provenit ex eò quòd aliqua conjunctio grammaticalis potest conjungere terminos, vel propositiones copulando, vel disjungendo. Conjunctio enim grammaticalis communis est ad copulativam, qualia sunt *ly, &, ac atque*, & ad disjunctivam, qualia sunt *ly, vel sive aut*. Quæ disjunctiva conjunctio, licet significet disjunctionem, & alteritatem in re, conjungit tamen grammaticalitèr plures dictiones, vel orationes. Et ideò primus modus duplicitèr fieri potest, scilicet, per copulativam, & per disjunctivam.

3 Per copulativam sicut; Quæcumque sunt duo, & tria  
sunt

funt duo , & funt tria ; sed quinque funt duo , & tria: ergo quinque funt duo , & funt tria. Minor est duplex, quia potest esse divisa , & est sensus quòd quinque funt duo , & quinque funt tria, & sic est copulativa falsa; vel potest esse composita, ita quòd fit sensus , quòd quinque funt duo , & tria simul, & hoc sensu est vera, & de copulato prædicato, & tunc *ly*, & copulat inter terminos sicut in sensu diviso inter propositiones . Similiter major prædicti sophismatis est duplex ratione divisionis, & compositionis. Peccat igitur argumentum per medij diversitatem, quia in una est divisum; in alia compositum . Similiter hìc . Quinque funt paria , & imparia.

4 De disjunctiva autem dantur hæc exempla . Omne animal est rationale, vel irrationale ; sed non omne animal est irrationale: ergo omne animal est rationale. Major potest esse divisa , & erit sensus , omne animal est rationale, vel omne animal est irrationale, quæ est falsa disjunctiva; vel potest esse composita, habens sensum, quòd omne animal est rationale, vel irrationale, & sic est vera, & de disjuncto prædicato, & *ly* , *vel* ibi disjungit inter terminos. Peccat autem per diversitatem medij secundum compositionem , & divisionem, ut prædiximus.

5 Sciendum est hoc loco , quòd divisa propositio ( ut hìc sumitur ) est quoties conjunctio unit propositiones faciendo unam hypoteticam disjunctivam, vel copulativam, vel aliam . Composita autem ( ut in proposito ) est quoties conjunctio unit terminos, & non propositiones . Et tunc facit cathegoricam de extremo tali, vel tali.

6 Secundus provenit ex eò quòd aliquod casuale, seu determinatio potest ordinari cum diversis, Ut Quòcumque tu vides hunc per cursum, illò percursus est ; sed tu vides hunc oculo percussum: ergo oculo percussus est ( dato casu quòd esset percussus in dorso ) Minor est in differentia quia  
ille

ille ablativus *oculo* potest ordinari cum *ly vides*, & tunc significat instrumentum potentiae visivæ, vel potest ordinari cum *ly percussum*, & tunc significat locum ubi vulneratus sit. Secundum primam determinationem, est composita propositio significans quod tu oculo videas illum percussum; secundum aliam determinationem, est divisa significans, quod tu videas eum percussum esse in oculo, qui tamen in dorso percussus est per casum positum. Peccat ergo Parallogismus per mediij diversitatem secundum compositionem, & divisionem. Etiam ille ablativus in una denotat instrumentum videndi percussum; in alia locum percussionis, secundum quod diversimodè ordinatur.

## CAP. V.

## DE FALLATIA ACCENTVS.

1 **F**allatia Accentus est deceptio proveniens ex eò quod aliqua dictio diversimodè pronunciata, diversa significat. Hujus Fallatiæ duo sunt modi principales ad quos omnis modus variandi prolationem ejusdem dictionis reduci potest.

2 Primus provenit ex eò quod aliqua dictio potest diverso accentu proferri, & hoc, vel secundum accentum gravem sive actuum, vel secundum accentum asperum sive lenem. Exemplum primi. Quoscumque justum est pendere, justum est pati pœnam suspendij; sed bonos viros justum est pendere: ergo bonos viros justum est pati pœnam suspendij. Peccat per diversitatem mediij, per accentum variati, quia *ly pendere* potest esse secunde conjugationis, & tunc habet accentum ( scilicet acutum ) in penultima, & significat pati pœnam suspendij, & potest esse tertie conjugationis, & tunc habet accentum in antepenultima, & significat actionem suspendendi reos, vel æstimare seu magnipendere bonos viros.

3 Exem-



3 Exemplum secundi. Quidquid hamatur, homo capitur; vinum amatur: ergo vinum hamo capitur. Hic est variatio penès asperitatem, & lenitatem accentús. Nam quando *hamatur* scribitur, & profertur cum aspiratione, habet accentum quasi asperum, seu sonorum, & tractum ex gutture, & significat cum tali instrumento expiscari; sed quando scribitur, & profertur sinè aspiratione, tunc habet accentum lenem, & simplicem, & significat actum amoris.

4 Secundus provenit ex eò quòd aliquid potest esse una dictio, vel plures. Ut Tu es, quies; sed quies est requies: ergo tu es requies. Peccat, quia *quies* in majori est oratio constans ex qui, & es; in minori autem est una dictio faciens in genitivo quietis. Hoc exemplum ideò ad accentum pertinet, quia si sit unica dictio, profertur uno spiritu vocis sinè pausa; si duplex dictio, debet duplici accentu proferri, interponendo morulam inter *ly qui, & es.*

## CAP. VII.

### DE FALLATIA FIGURÆ DITIONIS.

1 **F**allatia Figuræ Dictionis est *deceptio proveniens ex eò quòd aliqua dictio similis est alteri dictioni*, & proptèr hoc videtur habere eundem modum significandi, sed non habet. Hujus Fallatiæ tres sunt modi.

2 Primus provenit ex eò quòd genus dictionum putatur idem, quoniam, idem significant, Ut. *Omnis substantia colorata albedine est alba; vir est substantia colorata albedine: ergo vir est alba.* Item *omnis aqua est frigida; mare est aqua: ergo mare est frigida;* quod est contra Grammaticam.

3 In primo Parallogismo sumitur masculina dictio, ac si esset foemini generis, in secundo, neutra, ac si esset

esset foeminini. In his causatur vitium *Figura Dictionis* scilicet terminationis dictionis, quam figuram, & terminationem Sophista non vult mutare in conclusione secundum exigentiam Grammatices. Peccatur autem ob diversitatem medij implicitam; Nam in una respicit unum genus, & in alia, aliud. Et sic intelligatur de numero, Ut: *Omnes homines sunt albi; Sortes est homo; ergo Sortes est albi.*

4 Secundus provenit ex eò quòd aliqua dictio *unius prädicamenti* videtur significare per *modum alterius prädicamenti*: Sicut hic. *Quidquid emisti comedisti; crudas carnes emisti: ergo crudas comedisti.* Item *quidquid heri vidisti: hodie vides; album heri vidisti: ergo album hodie vides.* Peccant in diversitate medij, nam in una, respicitur prädicamentum *substantia*, in alia, *qualitatis*.

5 Tertius modus provenit ex eò quod dictio significans *quale quid*, seu *commune*, videtur significare *hoc aliquid*, seu *singulare* & hoc in eodem prädicamento, Ut: *Sortes ab homine est alter; ipse autem est homo: ergo est alter á se ipso.* Peccat in diversitate medij. In prima enim *ly homine* stat pro ut est *commune quoddam*; in secunda autem pro ut prädicatur *de Sorte*, & quia *Sortes* sumitur, sub homine, videtur quòd hoc nomen *homo* significet *hoc aliquid*. Similitèr est, si dicatur: *Sortes differt á Sorte Grammatico, & Sortes significat hoc aliquid; sed Sortes Grammaticus significat quale quid: ergo Sortes non significat hoc aliquid.* Esse enim, quod est per suam essentiam, non mutatur, per qualitatem sibi inhærentem, ut vult sexta Regula Artis quæ est de qualitate.

6 Arguitur autem per hunc modum à termino stante in *uno situ*, in quo habet unum modum significandi, ad eundem stantem in *alio situ*, ubi creditur esse idem, & est alius, eò quia differentia stat in situ, Et per hunc modum

modum fiunt parallogismi, quum arguitur à termino stante confuse, ad eundem stantem determinatè. Vel etiam quando arguitur à termino stante confuse tantum, ad eundem stantem confuse, & distributivè.

## CAP. VIII.

### DE FALLATIJS EXTRA DITIONEM.

1 **F**allatiæ *extra dictionem* differunt à Fallatijs *in Dictione*; quoniam Fallatiæ in Dictione proveniunt ex apariencia vocis, & causa falcitatis existit in re. Fallatiæ extra Dictionem proveniunt ex apariencia rei, & non existentia, & sunt septem, prima est *Accidentis*. Secunda, à *secundum quid ad simpliciter* Tertia *ignorantia elenchi*. Quarta *petitionis principij*. Quinta *consequentis*. Sexta *non causa, Ut causa*. Septima est *secundum plures interrogationes*, ut unam.

## CAP. IX.

### DE FALLATIA ACCIDENTIS.

1 **F**allatia *Accidens* est *deceptio proveniens ex eo quod aliquid significatur simpliciter inesse utrique eorum, qui equaliter per accidens, sunt unum*. Hujus Fallatiæ tres sunt modi.

2 Primus provenit ex eo quia proceditur *ab accidente, ad subjectum*, vel è contrà, Ut *agnosco Sortem*; sed *Sortes est veniens: ergo agnosco venientem*. Non valet quoniam *Sortes, & veniens* sunt unum per accidens, & non per se, & possum ego cognoscere Sortem, & nescire, an veniat, & agnoscere, quod aliquis veniat, nesciendo si est Sortes. Peccat parallogismus in diversitate medij, & *Apparentia* stat in concordantia illius actus veniendi, in quo concordant *Sortes, & veniens*; Ob hoc tamen non sequitur, quod quid-  
quid

quid est verum de uno, sit verum de alio.

3 Secundus provenit ex eò quòd id quod accidit, seu convenit superiori, concluditur esse in inferiori, vel è contrà, Ut *Homo est animal; animal est genus: ergo homo est genus. Similiter: homo est species; Sortes est homo: ergo Sortes est species.* Non valet, quoniam superius, & inferius sunt idem aliquomodo, non tamen simpliciter, ita quòd quidquid prædicatur de uno, & de altero. Peccant parallogismi *in deviatione medij à recta linea prædicamentali.* Et hic passus est notandus.

4 Tertius provenit ex eò quòd proceditur *ab specie, ad proprium, vel ab uno convertibili ad aliud,* Ut *Homo est risibilis; sed risibile est proprium: ergo homo est proprium. Similiter risibile est homo; homo est species: ergo risibile est species.* Non valet, quoniam homo, & risibile non sunt idem *secundùm definitionem,* nec absolutè. Peccat ergo in variatione medij.

5 Est etiam alius modus hujus Fallatiæ, qui fit per differentiam *actûs naturalis ab artificiali,* & formabitur sic parallogismus. *Omnis substantia elementata est naturalis; turris est substantia elementata: ergo turris est naturalis.* Non valet, quoniam turris secundùm quod ex partibus naturalibus constat, est naturalis substantia; sed secundùm quod ejus partes sunt contiguæ, & aggregatæ per artem, & non contiguæ per naturam, est ipsa turris artificialis, & sua figura non est naturalis. Et hoc in secunda Specie Secunde Regulæ, & Tertie patere potest, & alia suo modo.

#### CAP. X.

### DE FALLATIA A SECUNDUM QUID AD SIMPLICITER.

1 **F**Allatia à secundum quid, ad simpliciter est *deceptio proveniens ex eò quòd dictum secundùm quid*  
sumi-

sumitur, ac si esset dictum *simpliciter*. *Simpliciter* dictum est quod nullo addito dicitur, Ut Sortes albus. Dictum *secundum quid* est quod aliquo addito dicitur, Ut Sortes albus dentibus. In hac Fallacia, tot possunt esse modi, quot modis contingit addere alicui determinationem; sed communiter sunt quinque modi.

2 Primus est, quando determinatio addita opponitur ei cui additur, Ut Cæsar est homo mortuus: ergo Cæsar est homo. Non valet, quoniam arguitur affirmativè, à privatione entis, ad ejus positionem. Peccat autem per mediij insufficientiam.

3 Secundus est, quando determinatio addita pertinet ad actum animæ, Ut *Chymæræ est animal considerabile*: ergo *Chymæra est animal*. Item Cæsar est in memoria hominum: ergo Cæsar est. Item tu habes fælicitatem in mente, seu desiderio: ergo habes fælicitatem. Non sequitur defectu mediij insufficientis.

4 Tertius est, quando determinatio addita significat aliquid in potentia, Ut *in ovo est animal in potentia*: ergo *in ovo est animal*. Non valet, quia *esse in potentia* magnâ distantia differt ab *esse in actu* secundum naturam. Et argumentum deficit in defectu mediij sufficientis, Ut vult septima Regula (nostræ Artis) quæ est de tempore.

5 Quartus est, quando determinatio addita *tangit partem*, Ut *Ætiops est albus dentibus*: ergo est albus. Non valet.

6 Quintus est, quando aliquid secundum se, est per unum modum, & tamen secundum alium, est aliter conditionatum, Ut divitiæ in se sunt bonæ, sed in latrone sunt malæ. Ideò non valet, Divitiæ sunt bonæ; sed fur vult divitias: ergo fur vult bonum. Item: Gladius est bonus, sed in furioso, & homicida est malus. Et similia.

## DE FALLATIA IGNORANTIÆ ELENCHI.

1 **F**allatia ignorantia elenchi est *deceptio proveniens ex eo quod non observantur ea, quæ requiruntur ad definitionem elenchi.*

2 Elenchus autem est Syllogismus inferens contradictionem unius, & ejusdem nominis, & rei, *ad idem, secundum idem, similiter, & in eodem tempore.* Elenchus quandoque est unus Syllogismus, quandoque duo. Unus est quando concludit contradictoriam alicujus propositionis prius datae. Sicut si detur hæc: *aliquod animal est incorruptibile, & arguatur sic: Omne compositum ex contrariis est corruptibile; omne animal est compositum ex contrariis: ergo omne animal est corruptibile. Sed tu dicis quod aliquod animal est incorruptibile: ergo sequitur contradictio.*

3 Duo Syllogismi constituunt elenchum, quando ex duobus Syllogismis contradictoriis concluduntur duæ contradictoriae, Ut: si prædicto Syllogismo contraponatur hic. *Nullum Beatum est corruptibile; aliquod animal est beatum: ergo aliquod animal non est corruptibile.* Hujus Fallatiae quatuor sunt modi.

4 Primus peccat contra hanc conditionem, *contradictionis ad idem,* Ut: *duo sunt duplum ad unum, & non sunt duplum ad tria: ergo sunt duplum, & non duplum.* Deficit in diversitate mediij variati ad comparationem diversorum.

5 Secundus deficit contra hanc conditionem, *secundum idem.* Ut hoc est æquale ad duplum secundum latitudinem, & non secundum longitudinem: ergo est æquale, & inæquale. Peccat in diversitate mediij capti secundum diversa.

6 Tertius.

6 Tertius deficit contra hanc conditionem, *similitér* Ut: Cœlum movetur circularitèr, est non rectè: ergo movetur, & non movetur. Peccat in diversitate mediij sumpti *dissimilitér*.

7 Quartus deficit contra hanc conditionem, *bonæ contradictionis*, quæ est in eodem tempore, Ut: domus ista est clausa mane, & non est clausa serò: ergo est clausa, & non est clausa. Peccat in diversitate mediij contra hanc conditionem *simul*.

8 Et quia omnes quatuor prædictæ conditiones requiruntur copulativè, ad bonam contradictionem, quam Sophista nititur videri concludere contra respondentem, ideò in prædictis parallogismis, & similibus, licet appareat, quòd cuncluditur contradictio, contra respondentem, non concluditur de facto, quia in illis deest aliqua conditio requisita ab veram contradictionem, ut patuit in singulis.

## CAP. XII.

### DE FALLATIA PETITIONIS PRINCIPIIJ.

1 **F**Allatia petitionis principij est *deceptio proveniens ex eò quòd idem sub alio vocabulo vestitum, sumitur ad probationem sui ipsius*. Principium enim hic dicitur principale propositum de quo dubitatur. Hæc Fallatia habet quatuor modos.

2 Primus est quando definitum petitur, seu ducitur ad probationem definitionis, & è contrà, Ut: si debeat probari quòd animal rationale mortale currit, & dicatur sic: homo currit: ergo animal rationale mortale currit. Hic nulla est probatio, quia æque dubitatur de ente, quod petitur concedi, ac de consequente probando; & in hoc modo intelligitur petitio principij inter descriptum, & descriptionem.

3 Secundus

3 Secundus est quando propositio universalis ducitur ad probationem particularis suæ, Ut: si debeat probari, quòd omnium contrariorum est eadem disciplina, & afferatur hæc ad probationem: *omnium oppositorum est eadem disciplina: ergo omnium contrariorum eadem est disciplina.*

4 Et è contrà quando omnes particulares ducuntur ad probationem suæ universalis, Ut si debeat probari quòd omnium oppositorum est eadem disciplina, & assumantur istæ: *Omnium contrariorum eadem est disciplina; omnium privativè, & relativè oppositorum eadem est disciplina, &c. ergo omnium oppositorum eadem est disciplina.* Hic petitur tacitè conclusio in præmissis, de quibus æque dubitatur, ac de conclusione.

5 Tertius est quando conjunctum petitur, in diviso, id est quando divisim probatur, quòd conjunctim negatum est, Ut si debeat probari quòd Medicina sit scientia sani, & ægri, & dicatur sic: *Medicina est scientia sani & Medicina est scientia ægri: ergo Medicina est scientia sani & ægri.* Non valet, quia qui negat conclusionem pari ratione negabit antecedens predictum, quòd fermè est idem cum eo, quòd debet probari.

6 Quartus est quando unum relativum petitur, ut concedatur ad alterius relativi probationem, Ut si probandum sit quòd Sortes sit Pater Platonis, & dicatur. *Plato est Filius Sortis: ergo Sortes est Pater Platonis.* Hic petitur apertè, licet sub alijs verbis, quòd probari debet.

## CAP. XIII.

### DE FALLATIA CONSEQUENTIS.

1 **F**allatia Consequentis est deceptio proveniens ex cò quòd consequens, vel secunda consequentia, quæ est falsa putatur esse omnino idem cum antecedente,



tecedente, vel cum consequentia prima, quæ est bona. Ut exemplis declarabitur. Sunt hujus Fallatiæ duo modi principales.

2 Primus provenit ex eò quòd sicut in bona consequentia, à positione antecedentis sequitur positio consequentis, putatur, quòd à positione consequentis, sequitur positio antecedentis, quòd tamen non est verum. Ut: si homo est, animal est: ergo si animal est, homo est. Item. Si quis est adulter, est politulus, & errat de nocte: ergo si errat de nocte, & est politulus est adulter. Non valent quia istæ consequentiæ non convertuntur, quæ creduntur converti.

3 Secundus provenit ex eò quòd, sicut in bona consequentia, à destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, ita putatur, & persuadetur, quòd à destructione antecedentis, sequitur destructio consequentis, quod tamen est falsum. Ut si quid fuit generatum, illud fuit principatum: ergo si non sit generatum non fuit principatum; sed anima rationalis non fuit genita: ergo neque principata: quod est falsum. Item: Si quid fuit factum, illud fuit principatum: ergo si non fuit factum, non fuit principatum; sed Mundus non est factus: ergo nec principatus. Istæ consequentiæ non convertuntur, ut prætendit Sophista.

#### CAP. XIV.

### DE FALLATIA SECUNDVM NON CAVSAM VT *Causam.*

1 **F**allatia secundum non causam ut causam, est deceptio proveniens ex eò quòd inter præmissas, ex quibus benè sequitur conclusio falsa, miscetur superfluè aliqua propositio vera, quam Sophista cum argumento ad impossibile, vult falsam esse ostendere ex falsitate

con-

conclusionis, ac si illa vera ( mixta ) esset causa conclusio-  
nis, quum tamen nihil ad eam operetur, & sic non est causa.

2 Causa enim ut hìc sumitur est, quod est causa in  
inferendo, secundum quòd præmissæ sunt causæ conclusio-  
nis. Causa apparentiæ in hac Fallatia est convenientia vo-  
calis, quam non causa habet cum alijs propositionibus, quæ  
sunt causæ conclusionis.

3 Secundum hanc Fallatiam sic parallogyzatur. Dicit  
respondens, quòd anima, & vita sunt idem. Sophista sic  
arguit contra: omne contrarium corruptioni est genera-  
tio; sed vita est contraria corruptioni: vita, & anima sunt  
idem ergo vita est generatio. Conclusio est falsa ( quia si  
vita est generatio, vivere est generare: ) ergo aliqua præ-  
missarum est falsa; non prima, neque secunda ( ut ignarus  
respondens persuadetur ) ergo tertia, scilicet vita, & anima  
sunt idem, est falsa, quam tu respondens dicebas esse veram.

4 Potest ad prædictum parallogismum, & ad similes  
responderi dupliciter, scilicet, vel negando consequen-  
tiam, quum Syllogismus in præmissis nihil debeat habere  
superfluum, vel concedendo consequentiam potest negari  
hæc præmissa *vita est contraria corruptioni*, cujus falsitas est  
causa falsitatis conclusionis; numquam enim conclusio est  
falsa, nisi aliqua præmissarum suarum, ex quibus ipsa se-  
quitur, sit falsa. Quæ omnia significantur in quarta Regu-  
la Artis nostræ, quæ docet considerare causas.

#### CAP. XV.

### DE FALLATIA SECUNDUM PLURES INTERROGA- tionet ut unam.

1 **F**Allatia secundum plures interrogationes ut unam  
est deceptio proveniens ex eò quòd ad multi-  
plicem interrogationem, datur una responsio simplex eò  
quòd proponitur modo unius quæstionis. Sciendum est hoc  
loco,

loco, quòd eadem oratio ( materialitèr ) secundùm quòd sub dubitatione proponitur, dicitur interrogatio. Pro ut verò per eam significatur aliquid simpliciter esse, vel non esse, dicitur enunciatio; Pro ut ad alterius probationem adducitur, vocatur propositio, quasi pro alio, ut conclusione, positio. Sed secundùm quòd probatur ex alia, vel alijs dicitur conclusio. Modi hujus Fallatiæ sunt duo.

2 Primus est quando interrogatio ex eo est multiplex, quòd unum de pluribus in singulari prædicatur, vel è contrà, Ut putas nè quòd homo, & asinus sunt animal rationale? Si respondeat quòd sic, procedatur: ergo asinus est animal rationale. Si respondeatur, quòd non, procedatur: ergo homo non est animal rationale. Deceptio prædicta provenit, eò quòd ad talem interrogationem debent dari duæ responsiones, & non una, ut supra, sed debet responderi distinctè: homo est animal rationale, & asinus non est animal rationale. Similitèr: tu es nè homo, vel asinus? Item putas nè quòd Ætiops sit albus, & Corvus sit niger? Et similia.

3 Secundus est, quando interrogatio est plures ex eò quòd plura subjiciuntur, vel prædicantur cum plurali verbo. Sicut: putas nè quòd mel, & fel sint dultia? Si dicatur sic, concludatur: ergo fel est dulce. Si dicatur non, concludatur: ergo mel non est dulce. In his, & similibus patet, quòd non est danda unica responsio, sed plures, quum quæstio sit multiplex.


4 Hæc Arbor Logicalis non habet in se ipsa fructuum, quia fructus Logicæ colligitur in scientijs altioribus ad quas Logica ordinatur tanquam instrumentum ad opus.


Impressum in celebri Academia complutensi in Officina Laudatissimi Calcographi Arnaldi Guillermi Brocarij. anno ab ortu salutis nostræ. M.D.XVIII. in Vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ. Finis ad Laudem Dei.

B. Bo-

B. Bonitas, Differentia, Vtrum?  
 C. Magnitudo, Córdátia, Quid?  
 D. Duratio, Cóntrarietas, de Quo?  
 E. Potestas, Principium, Quare?  
 F. Sapientia, Medium, Quantū?

G. Voluntas, Finis, Quale?  
 H. Virtus, Majoritas, Quando?  
 I. Veritas, Æqualitas, Vbi?  
 K. Gloria, Minoritas, Quomodo?  
 (Et cum Quo?)





# BEATI RAYMVNDI

LULLI DOCTORIS ILLVMINATI, ET MARTYRIS  
Tertij Ordinis Sancti Francisci, Liber de quinque Præ-  
dicabilibus, & Decem Prædicamentis.

## PRÆFATIO AD BENEVOLVM LECTOREM.



VM Logica Ars sit, & scientia de-  
monstrandi, non immeritò ab anti-  
quis Philosophis traditur in Logica  
tractatus specialis de Demonstratio-  
ne, in quo, duos tantùm modos  
demonstrandi docuerunt, qui sunt  
*per quid*, hoc est *per Causam*: &  
*per quia*, hoc est per effectum.

Noster autem Illmi. Dr. duos alios demonstrandi mo-  
dos intellexit, & docuit. Unum nominavit, per *Æqui-  
parantiam* de quo fecit librum, sub titulo, de Demon-  
stratione per *Æquiparantiam*, qui habetur in magno Ope-  
re Lulliano impresso Moguntix. Tomo 4. impresso anno  
1729. circa finem Tomi. Et noviter Palmæ Majorica-  
rum anno 1744. in fine Tomi Artis Brevis.

Alium tradidit modum demonstrandi, quem vocat no-  
vum, de quo etiam fecit librum sub titulo *de novo modo  
Demonstrandi*, qui etiam habetur in dicto Tomo 4. in fine.

Sed quia dictus liber potius est Theologicus, idcò suo  
loco dabitur; ramum tamen, hìc tradendum, tùm prop-


ter modum, tum propter materiam, judicavi, librum scilicet de Prædicabilibus, & Prædicamentis, pro cujus intelligentia, hîc notanda, quæ ibi in libro notata sunt.

Novus itaque modus demonstrandi traditus à N. Ito. De. in suo libro, est per quinque terminos, qui sunt isti: Bonum, Magnum, Verum, Intelligibile, Amabile.

Oppositum autem horum terminorum est, Magnū Malum, Magnum Falsum, Ignorabile, Odibile. Et hoc sub suppositione: itaque in demonstrationibus ponuntur Contradictoriæ suppositiones. Et suppositio, quando est *vera* est de genere *bonitatis*, & quando est *bona*, est de genere *veritatis*. Et ratio est, quia bonum, & verum conveniunt cum *Esse*; & quando suppositio est falsa, est de genere *malitia*, & quando est mala, est de genere *Falsitatis*: ratio hujus est, quia malitia, & falsitas conveniunt cū *non Esse*.

Et concludit Dr. Distinctionem primam, quæ est de Contradictorijs suppositionibus sic: Et ideò intendimus Syllogizare faciendo Contradictorias suppositiones, & propositiones bonas, & veras declaratas ad *Affirmationem*; & oppositas ad *Negationem*: & hoc cum magna intelligibilitate, & amabilitate, bonitate, & veritate uniformiter. Unde novus hic modus *Demonstrandi* verior est, fortior, & clarior, quàm modus demonstrandi secundum dialecticum Syllogismum, quia non patitur sophismata, fallacias, & instantias, & hoc, quia reducit, concludendo contradictionem, sive impossibile. Vale.

DEVS



# D E U S

CUM BENEDICTIONE TUA INCIPIT LIBER DE  
quinque Prædicabilibus, & decem Prædicamentis.



Uoniam quinque Prædicabilia, & decem Prædicamenta sunt *partes generales universi*, & sint insensibiles, & inimaginabiles: idcirco essentia eorum sunt valdè secreta intellectui humano, & quia intellectus nudus non potest tantum attingere, quantum attingit, si est habituatus, & artificiatus ad attingendum veritates rerum: idcirco facimus istum librum artificialitèr, ut de prædictis propensius scientiam habeamus.

Novem sunt Principia vera, & necessaria in superlativo gradu permanentia, videlicet Divina Bonitas *optima*, Magnitudo *maxima*, Veritas *verissima*, Æternitas *aterrissima*, Potestas *potentissima*, Intellectus *intelligentissimus*, Voluntas *volentissima*, Virtus *virtuosissima*, & perfectio *perfectissima*. Cum istis Principijs, sive causis primitivis venari intendimus secreta prædicta, sive partes supra tactas.

Ex novem Principijs veris, & necessarijs in superlativo gradu permanentibus, colligimus tria, cum quibus faciemus suppositiones, scilicet Bonitatem Magnitudinem, Veritatem, & faciemus subjectum de Magnitudine, & de ipsa prædicabimus bonitatem, & veritatem dicendo sic: Suppono quod sit magnum bonum, magnum verum, &c. & sic  
de

4  
de alijs septem Principijs faciemus conditiones ad fortifi-  
candum suppositiones, & conclusiones. Affirmatio, & Ne-  
gatio in eodem subjecto, sivè objecto sunt opposita: &  
ideò in principio faciemus suppositionem in Contrario: &  
per istum modum, liber iste erit artificiatus, sivè erit Ars  
ad inveniendum veritates de prædictis.

## CAP. I.

### DE DIVISIONE HVJVS LIBRI.

**D**ividitur liber iste in duas Distinctiones. In prima trac-  
tabimus de *Quinque Prædicabilibus*, & in secunda de  
*decem Prædicamentis*, & primò de prima.

### DISTINCTIO I.

#### DE QVINQVE PRÆDICABILIBVS.

**I** **D**istinctio ista in quinque Partes est divisa, quæ  
sunt *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprietas*, &  
*Accidens*. Et de istis facimus Quæstiones, quærendo, an  
sint Principia Univerfalia, & realia, & extrà animam, aut  
non? Et quia multi dubitant in hoc, bonum est facere  
scientiam de ipsis, & de hoc, quod est Opinio, quod  
sit certitudo.

### PARS I.

#### DE GENERE.

**I** **Q**uæritur utrum Genus sit ens reale, ut sub-  
stantia corpus, animal?

Et dico, quod sic: & hoc probo per novum  
modum. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum  
verum, quod genus sit ens reale, & quod hoc intelligere,  
& amare, sit magnum bonum, & magnum verum, & si  
contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum  
bonum, verum, quod genus non sit ens reale, & quod  
hoc



hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, & magnum verum esse, quod est falsum, & impossibile.

Ratio hujus est, quia Divina æternitas non causeret tantam durationem, nec Divina potestas esset ita magna in causando mundum sine genere, nec Divinus intellectus intelligeret mundum in tanta plenitudine, nec Divina voluntas diligeret mundum tam magnum, sed minorem, & Divina virtus non causeret mundum tam virtuosum, neque Divina perfectio, tam perfectum; & quia ista esse non possunt, concluditur, quod prima suppositio est vera, & secunda est falsa. Ostensum est ergo quod genus est ens reale: & est ens reale, per primam intentionem, & sua similitudo est sic in anima per secundam.

2. Ulterius per hoc, quia si genus est ens reale, mundus est major creatura, & in ipso, motus naturæ est major, successivè, & simul movendo; & si genus non esset ens reale, Deus esset minor creator, & mundus minor creatura, quod est impossibile: probatum est ergo, quod genus est ens reale.

## Cap. II.

### DE SPECIE.

1. **Q**Uæritur utrum Species Universalis sit ens reale, aut non? Ut species humana, leonina, &c. Et respondeo, quod sic: & hoc ostendo. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod species sit ens reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod Species non sit ens reale, & quod hoc intelligere, & amare, esset magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum, & impossibile.

Ratio hujus est, quia Divina bonitas magnitudo, veritas,

tas,

tas, potestas, intellectus, voluntas, virtus, perfectio non haberent ita magnum bonum verum subjectum creatum, sicut haberent, si species est ens reale: & essent in creando non ita magnè creatrices, & viderentur ad extra accidiosæ &c. quod est erroneum dicere: ostensum est ergo, quod species est ens reale.

2. Ulteriùs posito, quod Species non esset ens reale, multa inconvenientia sequerentur in natura, quoniam, nisi esset ens reale, genus non participaret in natura cum individuis, V. G. cum isto homine, & cum isto leone, &c. Et esset fractus motus naturæ à superiùs ad inferiùs, ratione cujus fractionis, essent vacuitas, & monstruositas genitæ, & generatio esset impossibilis, & contra primam causam: probatum est ergo, quod Species est ens reale universale.

### CAP. III.

#### DE DIFFERENTIA.

1. **Q**uæritur utrum Differentia Generalis sit ens reale, aut non? Et dico, quod sic, & arguo sic: suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod Differentia sit ens reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, verum esse, quod Differentia non sit ens reale, quod est falsum, & impossibile, quia si sic, superiores causæ impedirent se ipsas, ne essent causæ majores, & hoc esset à Deo bonificabile, magnificabile, verificabile, &c. quod est falsum, & impossibile.

2. Ulteriùs quia si Differentia Generalis est realis, sequitur, quod sub ipsa, oriuntur Differentiæ Particulares: sicut oriuntur materiæ Particulares ex materia prima, posito,

to, quod sit ens reale; aliter esset fractio, & vacuitas inter quod est Universale, & quod est Particulare, quod est incongruum dicere, & contra terminos Philosophiæ: concluditur ergo, quod Differentia Universalis sit ens reale.

CAP. IV.

DE PROPRIETATE.

1 **Q**Uæritur utrum Proprietas Generalis sit ens reale? Dico, quod sic, tenendo affirmationem. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod Proprietas sit ens reale Generale: & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria supposito sit vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod Proprietas non sit ens reale Generale, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum esse, quod est falsum, & impossibile. Quoniam causæ superiores primitivæ non essent ordinatrices ad causandum mundum, quod est absurdum dicere.

2 Ulteriùs si prima suppositio esset falsa, & secunda esset vera, sequeretur, quod qualitas, quæ est Prædicamentum Generale non esset *Pars Universalis Universi realitèr*; sed ficto modo; quoniam caliditas, frigiditas, & sic de alijs qualitatibus, non essent Proprietates in subjecto, in quo sunt, quia non haberent superius, per quod essent qualitates diffusæ, & motus naturæ, esset fractus, & motu successivo, & continuo, esset mundus evacuatus, quod est impossibile. Probatum est ergo, quod Proprietas est ens Universale reale à quo oriuntur omnes Proprietates Particulares.

CAP. V.

DE ACCIDENTE.

1 **Q**Uæritur Utrum *Accidens* sit ens Universale reale? Et respondeo, quod sic: & hoc sic probo.

Sup-

Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod accidens sit ens Universale reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, & magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod Accidens non sit ens Universale reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile: Quia si sic, quantitas, qualitas, & cætera accidentia, non possent habere concordantiam in genere, neque in speciebus, & sic de individuis, & mundus esset vacuatus communitate reali accidentium: & dignitates Dei non essent creatrices, & causæ ordinatim, quod est impossibile: concluditur ergo, quod est dare unum accidens universale, & reale à quo oriuntur omnia accidentia primaria.

2. Ulteriùs si non est accidens Universale, & reale, motus, qui est accidens, non esset Universalis, & realis, habens sub se tres species, quæ sunt motus *augmentationis*, *mutationis*, & *alterationis*, quod est impossibile. Ostensum est ergo quod est unum accidens Universale, & reale, quod est una Pars Universalis mundi. Ostensum est ergo, quod quinque Prædicabilia, quæ sunt Generales partes mundi, sunt entia realia. Et talis doctrina est valde alta, & est aperiens secreta naturalia.

## DISTINCTIO II.

### DE DECEM PRÆDICAMENTIS.

**D**istinctio ista in decem Prædicamenta est divisa, quæ sunt hæc. *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Passio*, *Habitus*, *Situs*, *Tempus*, & *Locus*. De istis decem Partibus Generalibus mundi intendimus facere *Questiones*, & solvere ipsas per contrarias suppositiones. Et primò dicemus de *substantia*.

CAP.

## CAP. I.

## DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

I. **Q**Uæritur Utrum substantia mundi sit composita ex *Universali forma*, & *Universali materia*? Et dico quod sic. Et hoc sic probo: Suppono quod sic magnum bonum, magnum verum esse, quod substantia mundi sit composita ex *Generali forma*, & ex *Generali materia*, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod substantia mundi non esset composita ex *universali forma*, & *materia*, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum, & impossibile. Ratio hujus est quia esset magnum bonum, magnum verum esse, intelligere, & amare, quod *divinæ dignitates* essent *parvæ creatrices*, & quod *mundus* esset *parva creatura*, quod est impossibile.

2. Ulteriùs Si substantia mundi non esset composita ex *forma Universali*, sed ex *prima materia*, sua *accidentia*, & ipsa *prima materia*, & *materiae Particulares* haberent plus de *entitate*, quam *formæ Particulares*, quæ non haberent ex quo essent, sicut *materiæ Particulares*, quæ habent *Universale* ex quo sunt; & quia hoc est absurdum dicere, probatum est, quod substantia mundi est composita ex *forma*, & *materia Universalibus*.

## CAP. II.

## DE PRÆDICAMENTO QUANTITATIS.

I. **Q**Uæritur Utrum *Quantitas* sit de *essentia substantiæ*? Et dico, quod non. Et hoc sic probo: Suppono, quod sit magnum bonum, magnum  
b
verum,

verum, quod *Quantitas* non sit de essentia substantiæ, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod *Quantitas* sit de essentia substantiæ, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse.

2 Ratio hujus est, quia plures sunt entitates, si substantia est unum ens nudum, & *quantitas* est aliud ens nudum, quàm si substantia, & *quantitas* sint unum ens nudum; & quia plures entitates sunt magis partes mundi, quàm una: manifestum est ergo, quod divinæ rationes sunt magis causæ in causando mundum, si ponunt differentiam inter substantiam, & *Quantitatem*, quàm si non: Ostensum est ergo, quod *Quantitas* non est de essentia substantiæ.

3 Ulterius si substantia non haberet instrumentum cum quo esset quanta, perderetur in ipsa motus extensionis, sive successione, & esset ingenerabilis, & incorruptibilis: & etiam esset substantia talis similis substantiæ Dei, quæ non indiget instrumento. Item differentia non distingueret, quod una *quantitas* esset à parte formæ, & alia à parte materiæ, & forma, & materia essent idem in essentia, quod est impossibile. Et etiam perderetur compositio, ex substantia, & accidente, quæ perditio esset: sicut vacuitas mundi, quæ esset, destructâ unâ specie, aut pluribus mundi, quæ vacuitas est impossibilis.

### CAP. III.

#### DE PRÆDICAMENTO QUALITATIS.

1 **Q**Uæritur Utrum *Qualitas* sit ens reale, & Generale? Et respondeo, quod sic. Et hoc sic ostendo. Suppono quod sic magnum bonum, magnum verum esse, quod *Qualitas* sit Principium Universale,

versale, & reale: & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod non sit ens Universale, & reale, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile, quia causæ primariæ veræ, & necessariæ impedirent se ipsas, quod non essent majores causæ, sed minores, & æqualitas esset dispositio, & effectus esset major, & ipsa esset minor: concluditur ergo, quod *Qualitas* est ens reale Generale, postquam forma prima est *qualis* activando, & materia prima passionando: & postquam quantitas formæ sit qualis, & quantitas materiæ sit alia qualis; & sic *Qualitas* incipit à superiùs, & descendit per species *quales* usque ad individua, quæ sunt qualia per accidentalem bonitatem, & per albedinem in isto albo, in illo albo, & sic de alijs; aliter mundus esset evacuatus, si *Qualitas* non esset ens reale Universale.

## CAP. IV.

*DE PRÆDICAMENTO RELATIONIS.*

**I** **Q**Uæritur Utrum Relatio sit Prædicamentum Universale, & reale. Et dico, quod sic. Et hoc, sic probo. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod *Relatio* sit Prædicamentum Universale, & reale, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod *Relatio* non sit ens Universale, & reale: & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile. Quia divinæ rationes essent Causæ minores, & impedirent se ipsas, quod essent Causæ majores, quod est absurdum dicere.

2 Ulteriùs si *Relatio* Prædicamentalis non esset Principium reale Universale, *prima forma* non esset relata ad *primam materiam*, & è conversò, quia relatio non esset in ipsis sustentata, & innata: ac per consequens esset impossibile, quod esset per *species* deducta, usque ad individua, quod est falsum: concluditur ergo, quod *Relatio* est ens reale Universale.

## CAP. V.

## DE PRÆDICAMENTO ACTIONIS.

I **Q**Uæritur Utrum *Actio* Prædicamentalis sit ens Universale, & reale? Et dico, quod sic. Et declaro hoc. Suppono quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod *Actio* sit ens reale Universale, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse: & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod *Actio* non sit ens reale Generale, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile. Ratio hujus est.

2 Quia causæ superiores, essent ociosæ, per hoc, quia negligenter, quod esset *Actio* superiùs, & quod *Actiones* Particulares, quæ sunt inferiùs non haberent ex quo essent, & esset perditus motus *rectus* & *obliquus*, & etiam *Circularis*, & natura esset ligata, & frustra, quod est inconveniens.

3 Ulteriùs, forma, quæ est motiva per se naturaliter, & substantialitèr, esset nuda sine *forma activa* accidentali quia non haberet instrumentum, cum quo esset movens ad dandum esse materiæ: sicut ignis, qui non posset esse activus in subjecto, nisi forma, quæ est accidens, ut caliditas, esset ei instrumentum ad calefaciendum rem calefactibilem.

## CAP. VI.



## CAP. VI.

## DE PRÆDICAMENTO PASSIONIS.

1 **Q**Uæritur Utrum *Passio* Prædicamentalis sit Generalis, & realis? Et respondeo, quod sic: & ad probandum hoc, sic arguo. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod *Passio* Prædicamentalis sit Principium Universale, & reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod *Passio* Prædicamentalis non sit Principium Universale, & reale, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile: quia sequeretur, quod causæ superiores impedirent effectus superiores, & sic impedirent se ipsas, & non esset magnum bonum, magnum verum, ipsas esse Causas majores, sed minores, quod est magnum incongruum dicere.

2 Ulterius, si *passio* non esset Principium Universale, & reale, multæ monstruositates sequerentur in natura, & in motu ejus, quia prima materia, quæ est per se, de genere *passionis*, non haberet *passionem* accidentalem, cum qua reciperet *passionem* à forma Universali, & *passiones*, quæ sunt inferiùs sustentatæ in individuis, non haberent communitatem, ex qua essent, & sic essent à contingentia, & non naturalitèr, quod est impossibile, secundum veram Philosophiam: sequitur ergo, quod *Passio* sit Principium Universale, & reale.

## CAP. VII.

## DE PRÆDICAMENTO HABITVS.

0 **Q**Uæritur Utrum sit dare Habitum Generalem, & realem in natura? Et respondeo, quod sic.

fic. Et quod hoc sit verum, probo sic: Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod sit habitus innatus, & naturalis, & realis Universalis, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse: & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod habitus naturalis Universalis, & realis non sit: & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile, quia divinus intellectus intelligeret, quod natura esset vacua sine prædicto habitu, & divina voluntas odiret, quod natura esset plena; & quia essent monstruositates in entitatibus naturalibus, & generaretur vitium per divinam virtutem, quod est falsum, & impossibile.

2 Ulteriùs sine prædicto habitu, stellæ non essent *habituata* in movendo inferiora naturalitèr, & sic de elementis in elementata, & Species essent ligatæ, & fractæ, & sic de individuis: est ergo manifestum, & probatum, quod *habitus* est naturalis, Universalis, & realis, ex quo oriuntur omnes *habitus* particulares: sicut rosarius, quod habet *habitum* in generando rosam, & equus, equum: & sic de alijs talibus.

## CAP. VIII.

### DE PRÆDICAMENTO SITVS.

1 **Q**Uæritur Utrum sit dare *Situm* naturalem Universalem, & realem? Et dico, quod sic. Et quod hoc sit verum, probo sic: Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod sit in natura *Situs* Universalis, & realis, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, sequitur, quod sit magnum bonum, magnum verum, quod non sit ipse *Situs*, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum esse, quod est impossibile, quoniam divinus intellectus cognos-

nosceret, quod divina voluntas esset viciosa, & ociosa, per hoc, quia impediret ipsum situm esse, & divina voluntas odiret, quod intellectus divinus esset causa perfectior, in habendo effectum imperfectum, & sic de divina potestate &c. & quia ista sunt impossibilia: ostensum est ergo, quod est *Situs* naturalis Universalis, & realis.

2. Ulteriùs si esset perditus *Situs* in natura, non essent stellæ situatæ in cœlo, neque Elementa in elementatis; neque Anima faceret scientiam de mechanicis, quia sine *Situ* esse non possunt, & mundus esset evacuatus, & motus naturæ impeditus: est ergo prædictus *Situs*, quem inquirimus, à quo oriuntur omnes *Situs* Particulares.

### CAP. IX.

#### DE PRÆDICAMENTO TEMPORIS.

1. **Q**Uæritur Utrum *Tempus* sit ens per se mobile? Et dico quod non. Et quod hoc sit verum, probō sic: Suppono quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod *Tempus* sit mobile per motū, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnū verum esse, & si contraria suppositio est vera, sequitur, quod *Tempus* sit per se mobile, & quod hoc intelligere, & amare, sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est impossibile.

2. Quia si sic, divinus intellectus intelligeret, quod motus esset superfluus in natura, & *Tempus*, & sic de alijs accidentibus, quòd non indegeret, quod motus esset suū instrumentum, cum quo essent in motu, & sic de substantijs, quæ essent immobiles privato motu, & quod hoc, divinus intellectus sic intelligat, absurdum est dicere.

3. Ulteriùs si *Tempus* esset per se mobile, multa inconvenientia sequerentur in natura; quoniam quantitas, qualitas, & cætera accidentia essent per se mobilia in subjecto in quo sunt, scilicet in substantia, quod est impossibile; quoniam substantia est primitiva in motu in movendo accidentia:

cidentia: ostensum est ergo, quod *Tempus* non est mobile per se; sed per accidens.

## CAP. X.

## DE PRÆDICAMENTO LOCI.

1 **Q**Uæritur Utrum *locus* sit pars naturalis Universalis, & realis substantiæ mundi, & eorum, quæ in ipso sunt? Et dico quod sic. Et probo. Suppono, quod sit magnum bonum, magnum verum esse, quod *Locus* sit pars naturalis Universalis, & realis substantiæ mundi, & quod hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum, & impossibile, quia si sic: divinus intellectus non intelligeret, quod partes substantiæ mundi, & sic de substantijs Particularibus, una pars non esset collocata in alia; sed essent per contactum, & perderetur compositio substantiarum, & spacium earum, quæ perditio est impossibilis: intelligit ergo divinus intellectus, quod *Locus* est Pars substantiæ mundi, & est ens Universale naturale, & reale.


2 Ulteriùs nisi locus esset ens Universale reale, & naturale, *locus* non esset aliud, nisi per continens, & contentum: sicut patet in figura, & in ampulla vini, quia ampulla est continens, & vinum est contentum, in qua figura, motus successivus est fractus, eò quia *locus* esset per contactum, & non per compositionem, & sic potest dici de alijs: sicut fons, qui non est compositus cum aqua, nec homo cum aere, in quo est, neque piscis in mari, in quo est.

Expeditus est Liber, qui est de Quinque Prædicabilibus, & decem Prædicamentis, & per hoc, quod de ipsis dictum est, humanus intellectus est habituatus ad cognoscendum secreta eorum.

Ad laudem, & honorem dei finicit Raymundus librum istum in Civitate Messanæ, Mense Decembris anno 1313.

Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi.

Deo Gratias.



# BEATI RAYMVNDI

LULLI DOCTORIS ILLVMINATI, ET MARTYRIS Tertij Ordinis Sancti Francisci,  
Liber de Natura.

## PRÆFATIO AD LECTOREM.





**D**E *Natura* in Logica Nova egit Illtus Dr. deducens eam per Regulas Artis; sed valde breviter, cumque Lulliana Logica, & *naturalis* sit, & *intentionalis*, ut signavit Arbor: cumque etiam, *Liber de Ascensu, & descensu intellectus*, qui immediatè sequetur istum, sit principalitèr circa naturalia, incipit enim à *Lapide*, & à gradu ad gradum ascendit: ideò Liber iste de Natura, ut *finis* præcedentium, & *Principium* sequentium, uti necessarius hìc proponitur, ut altiùs naturalia contempleris. In hoc etiam invenitur naturalis *connexio* Principiorum, *ordo* in investigando, & *Regula* in solvendo. Invenitur *connexio* Principiorum propter plenitudinem, ne *natura* vacua inveniat, cum reverà plena sit, & Principijs, & Correlativis necessarijs, juxta librum, Correlativorum innatorum, qui

habetur junctim cum libro Artis Brevis Palmæ impresso in 8. anno 1744. *Ordo* in investigando invenitur, incipit enim per Quæstionem *Quid?* Et hoc est, quia *Natura* supponitur esse in re: ideoque investigare non oportet illam per primam Quæstionem, quæ est *Utrum*. *Regula* traditur in solvendo, in singulis enim Partibus, si benè attenduntur, solutionem Quæstionum de *Natura* occurrentium invenies abundanter.

Vale.

LIBER





# LIBER

DE NATURA.

PROLOGVS.



UM *Natura* sit multum Generalis, & sine ipsa, entia, quæ sunt, esse non possent; idcirco utile est, & necessarium valde, de *Natura* habere cognitionem, quoniam ipsa cognita, habet humanus intellectus placitum, in investigando, & inveniando entium *naturalium* veritates; idcirco hunc librum facimus de *Natura*, ut cum ipsa habeatur cognitio, & scientia de entibus naturalibus, & ut doctrinam demus ad illam investigandum, & inveniendum: Et hunc librum brevem facimus, & secundum processum Artis Generalis, hoc est secundum sua Principia, & Regulas, proponimus *Naturam*, & secreta sua investigare artificialiter, ut sit una Brancha Artis Generalis ad solvendum *Quæstiones Generales*.

DIVISIO LIBRI.

**D**ividitur iste liber in novem Partes, hoc est in novem Quæstiones. Prima pars est *de Definitione?*

*nitione*, in qua Quæritur, *Quid est natura?* In Secunda Parte quæritur *De quo est Natura?* In Tertia Parte, Quæritur, *Quare est Natura?* In Quarta Parte Quæritur, *Quanta est Natura?* In Quinta Parte Quæritur, *Qualis est Natura?* In Sexta Parte Quæritur, *Quando est Natura?* In Septima Parte Quæritur, *Vbi est Natura?* In Octava Parte Quæritur, *Quomodo est Natura?* Et in nona Parte Quæritur, *Cum quo est Natura?*

2 Per has enim novem Quæstiones Generales, potest haberi notitia de *Natura*, & de suis Operationibus, & hoc significatum erit per solutiones, quas dabimus in Quæstionibus supradictis. Unde cum ita sit: est ergo utilis liber iste omnibus illis, qui loquuntur de *Natura*, & illis, qui *operationes naturales faciunt cum artificialibus*: sicut Medici, qui cum artificio disponunt sanitatem infirmis, & sic de similibus.

## PARS I.

### DE DEFINITIONE NATURÆ.

1 **D**efinitiones *Natura* plures possunt esse; quoniam *Natura* pluribus modis consistit, secundum quod sua subjecta in quibus est sustentata sunt plura, & diversa. Quapropter, aliquas de *Natura* dabimus definitiones, & plures aliæ fieri possunt: itaque.

2 *Natura* est *Principium*, per quod entia abstracta, & Concreta sunt magis ad invicem propinqua. Sicut *Essentia*, & *Esse*, *humanitas*, & *homo*, *bonitatis*, & *bonum*, *magnitudo*, & *magnum*: & sic de similibus, cum ita sit, quod entia concreta, & naturalia sint per *naturam* de entibus naturalibus abstractis: sicut *Esse*, quod est per *naturam* de *Essentia*: & sicut *Homo*, qui est per *naturam* de *humanitate* sua, & habet *naturam* hominis: & sicut *bonus*, qui habet bonam *naturam* per *naturam* *bonitatis* suæ naturalis: & sic



& sic de alijs rebus similibus istis.

3 Item Natura est *id per quod sunt actiones, passiones, & operationes naturales*: sicut intellectus, qui habet actionem inquantum intelligit, & habet passionem, inquantum intelligitur, & habet operationem, inquantum habet intelligere naturale. Item ignis, qui habet actionem naturalem per suum calorem, cum quo, calefacit aquam, & habet passionem naturalem, inquantum est desiccatus per terram, quæ influit in ignem suam siccitatem: & sic calefacere, & desiccare, sunt operationes ignis *naturales*.

4 Item Natura est *id per quod agentia naturalia de se ipsis producant alia agentia naturalia ad conservandum speciem*: sicut leo, qui de se ipso generat alium leonem, quem facit esse in sua specie: & idem est de pomario, quod similiter facit *naturaliter* aliud pomarium in sua specie in grano pomi.

5 Item Natura est *principium, per quod Agens naturale adducit de potentia in actum ens individuatam generatum per naturam*. Sicut pomarium, quod est in potentia in grano pomi, & in actum est ductum de potentia, quando generatum est.

6 Item Natura est *id per quod Principia naturalia sunt plena*. Sicut forma, quæ est plena naturali actione, & materia, naturali passione: & sicut forma, & materia, quæ sunt plenæ naturali conjunctione, ut de omnibus tribus, sit substantia plena, per *naturam*, & de *natura*.

7 Item Natura est *id per quod Agentia naturalia appetitum habent ad suos fines naturales*. Sicut intellectus, qui habet appetitum ad intelligendum entia, per ipsum intellectat: & voluntas, quæ habet appetitum ad amandum entia, per ipsam amata: & ignis ad calefaciendum substantias, per ipsum calefactas: & sicut bonitas, quæ habet appetitum ad bonificandum entia, per ipsam bonificata, & sic de alijs.

PARS II.

## PARS II.

## DE QVO EST NATURA.

1 **S**olutio hujus Quæstionis potest esse multis modis. Primò Natura considerata secundum suam essentiam, est de se ipsa ( ut ita loquar ) & non de alio, quod non sit de sua specie: sicut humanitas, quæ in quantum est, non potest esse de alio, quoniam si esset de alio, poni non posset in sua specie, neque per ipsam posset homo poni in specie humana. Hoc idem est de *Natura*, quæ si de alia essentia esset materialitèr, non essent substantiæ materiales positæ in speciebus naturalibus per naturam, nec habere possent operationes naturales.

2 Natura est de sua essentiali forma, & materia, & è conversò, sua materia, & sua forma sunt de ipsa; idcirco Natura est substantialitèr essentia, & sustentatur in suis concretis coessentialibus simpliciter, scilicet in *Naturante*, *Naturato*; & *Naturare* est actus influxus ex ipsis substantijs naturalibus, quæ operationem habent naturalem per naturam: sicut substantia ignis, in qua sustentatur natura, & substantia ignis est naturata, idcirco ignis habet in sua essentia, & substantia operationem naturalem essentialem & substantialem.

3 Præterea Natura est de agentibus naturalibus in quantum naturaliter agunt cum natura, & de eorum *natura*, & in eorum *natura*, & per eorum *naturam*, & ad finem naturæ eorum: sicut calor ignis, qui est propria natura ipsius ignis, & suum instrumentum, *cum quo*, & *de quo* calefacit substantias calefactas.

## PARS III.

## QVARE EST NATURA?

1 **S**olutio Quæstionis patet in promorio, quod naturam habet de se ipso existente, in quantum cum illa,

illa, se ipsum conservat, & cum illo ad finem se movet propter quem est, hoc est ad multiplicandum, & ad conservandum suam speciem, per quam multiplicationem, & conservationem, quietem habet per naturam.

2 Item Natura est, ut sint sua concreta essentialia per quæ, quies, & perfectio in substantijs consistit, quæ quidem concreta *natura* sunt *Naturans*, *Naturatum*, & *Naturare*, sine quibus substantiæ essent otiosæ, & se ad finem non haberent, propter quem sunt: sicut homo, qui se non haberet ad generandum alium hominem, & pomum ad generandum aliud pomum, sive pomorium, neque substantiæ vegetatæ crescerent, neque suas species multiplicarent, neque homo viveret per naturam, neque sentiret, neque intelligeret, & sic de alijs rebus, sive naturalibus concretis, quæ sunt per naturam, & è converso *natura* est per ipsa.

3 Iterum Natura est propter hoc, quia substantiæ sunt plenæ per sua prima principia, quæ plena sunt per *naturam*, & de *Natura*: sicut substantia hominis, leonis, pomarij, &c. quæ plenæ sunt plenis principijs *naturalibus*, quæ sunt Bonitas, magnitudo, duratio, potestas, & cætera: existente Bonitate plena *naturali* Bonificante, Bonificabili, Bonificare, & Bonificatio: & magnitudine existente plena *naturali* Magnificante Magnificabili, Magnificare, & Magnificatio: & sic suo modo de alijs principijs Artis Generalis.

4 Et ideo substantiæ plenas habent operationes naturales per *naturam*; in quantum enim bonificant, & in quantum habent bonificare, sunt bonificantes: & in quantum magnificant, sunt magnificantes, & habent magnificare per *naturam*: est ergo natura, ut sit perfectio substantiarum, & sit de principijs, de quibus diximus, & de principijs Artis Generalis: sicut naturalis duratio, per quam

quam substantiæ *naturalitèr* durant: & sic *naturalis* Potestas, per quam substantiæ possunt facere *naturales* operationes: & sicut virtus *naturalis* per quam substantiæ faciunt, & habent motum virtuosum, & multiplicationem.

5 Idem est de Differentia, Concordantia, & Contrarietate, & de Principio, Medio, Fine, & de Majoritate Æqualitate, & Minoritate, quæ sunt per *naturam*, & sine natura non essent differentes, concordantes, & Contrariantes, & perderetur generatio, & corruptio, ac motus naturalis, & una substantia non esset Principium alterius, neque esset iudicium per quod substantia se movet ad finem, propter quem est, neque una substantia esset major altera, neque una æqualis alteri: unde sequeretur, quod substantiæ non essent hoc, quod sunt, si natura non esset: est ergo *natura*, ut substantiæ sint hoc quod sunt, & ut sint plenæ plenis Principijs per *naturam*, cum quibus habeant plenas operationes naturales.

6 Iterum *natura* est propter hoc, ut Deus habeat *naturalem* operationem: quoniam sine *natura*, Deus *naturalitèr* intelligere non posset, neque naturalem potestatem amandi se ipsum haberet, neque haberet naturalem bonitatem, magnitudinem, æternitatem, virtutem, veritatem, & gloriam: in Deo ergo est natura, ut ipse suis dignitatibus non privetur, sine quibus dignitatem non haberet, per quam esset hoc, quod est: & si Deus non esset, mundus non esset, & quia in Deo est *natura* Divina, sine illa, Deus non esset aliquid. Est per *naturam* Deus de Deo: sicut *naturalis* Filius Dei, qui est de naturali Deo Patre per *naturale* intelligere: & per *naturalem* intelligentem, & per *naturalem* intellectum. Est Deus Spiritus Sanctus, qui est de *naturali* amore Dei Patris, & Dei Filij per *naturale* amare *naturalis* amantis, & amati: & idem de naturali Divina bonitate, infinitate, æternitate, potestate, gloria, virtute, & veritate,

9

ritate, ut Deus ita sit de Deo per naturam, benè infinite, æternaliter, potestativè, virtuosè, veraciter, gloriosè: sicut est per intelligere, & amare. Et quia infinita est natura Divina, cum Divina essentia, & substantia convertitur: & cum qualibet Dei dignitate est una: & ita unus Deus cum Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto: sicut unus est Deus, per unam naturam.

#### PARS IV.

##### QUANTA EST NATURA?

1 **D**Uæ sunt *Natura* in generali, scilicet *Natura Divina increata, & natura creata*. In natura Divina non est quantitas, cum ita sit, quòd natura Divina sit infinita, & æterna, in qua quantitas esse non potest; in ipsa tamen est quantitas per numerum personarum divinarum, in quantum natura divina est unus Pater, qui non est Filius, neque Spiritus Sanctus: & est unus Filius, qui non est Pater, neque Spiritus Sanctus: & est unus Spiritus Sanctus, qui non est Pater, neque Filius.

2 Idcirco Divina natura est in tribus personis distinctis, per quam distinctionem, ipsa in numero ternario consistit; & quoniam tres personæ Divinæ sunt unus Deus, & non sunt plures Dij, ~~Divina natura consistit in~~ *unitate numeri*, in quantum ipsa est unus Deus, & una natura, & non plures naturæ.

3 Unde cum hoc ita sit, dicimus, quod in Deo natura habet quantitatem numeralem, & non quantitatem essentialem: & quia natura Divina habet numerum unitatis, & numerum Trinitatis, ipsa consistit in numero unius *Naturantis*, & unius *Naturati*, & unius *Naturare*: & omnes tres sunt una natura, quæ est prædicti tres. Et secundum quod ipsa in prædictis tribus consistit, & in *Unitate essentia*, & substantiæ, ipsa est in qualibet Divinarum personarum,

bb

sonarum, & dignitatum: sicut in bonitate in qua est una, & in qua est per *Bonificantem* naturantem, & *Bonificatum* naturatum, & *Bonificare* naturare, quod procedit ex Bonificante naturante, & ex Bonificato naturato, & sic de Magnitudine æternitate, &c.

4. Natura creata duobus modis consistit, hoc est dictum, una est *natura spiritualis*, & alia est *natura corporalis*. Et iterum considerare oportet naturam duobus modis, hoc est *naturam substantialem*, & *naturam accidentalem*. Idcirco ad Quæstionem respondemus, & dicimus, quod natura tanta est, quanta spectat ad totum universon creatum, & ad suas partes, secundum divisionem, quam supra fecimus de natura: sicut natura Spiritualis in *Angelo*, & in Anima rationali, quæ tanta est, quanta essentia cujuslibet est plena suâ naturâ spirituali, & substantiali: & tanta est in Angelo, & in Anima rationali, sicut accidentia utriusque requirunt ad essendum naturalia: sicut quantitas Angeli, per quam terminatus est, & finitus, & quantitas suarum partium, hoc est quantitas suæ naturalis bonitatis, magnitudinis: & idem de suarum naturalium operationum quantitate, quæ sunt recolere, intelligere, & amare.

5. ~~Natura tanta est, in substantijs corporalibus, quanta in ipsis potest esse: sicut in substantia ignis, quæ plena est de sua natura substantiali, quam habet, per suam propriam formam, & materiam: & sic de sua natura accidentali, quæ tanta est, quanta in sua substantiali natura intrare potest: sicut naturam caloris, levitatis, & lucis, & aliarum proprietatum ignis, de qua, natura substantialis est plena, ut habeat naturales plenas operationes: & sic de cæteris elementis, & eorum elementatis potest dici.~~

PARS V.

QUALIS

QUALIS EST NATURA?

1 **V**Na Qualitas naturæ est *propria*, & alia *appropriata*, Propria qualitas est naturæ: sicut calor, qui est qualitas ignis, & siccitas, quam habet ignis, est sua qualitas *appropriata* per terram. Et ideò respondendo ad Quæstionem, dico, quod una *natura* est qualis per qualitatem propriam, & alia natura est qualis per qualitatem appropriatam: & quælibet ex illis bona est, & magna, &c. & hoc in substantijs corporalibus per accidens.

2 Item bona est natura qualis per substantiam: sicut forma ignis, quæ est qualis substantialitèr, quia *naturam* habet substantialem: & ex ambabus naturis est una natura communis: sicut natura substantialis substantiæ ignis, qui per suam substantialem naturam dispositus est, quod sit agens, & patiens naturalitèr, ut substantialitèr in elementatis per generationem, & corruptionem, in quo est unus qualis substantialis *naturans*, & alius *naturatus*, & alius *naturare*.

3 In substantijs spiritualibus est *natura* qualis, sicut in Angelo, & in anima rationali. In Angelo quidem est unus qualis substantialis, in quantum habet formam, & materiam ~~spiritualem~~, & sua substantia est ex ambabus, per quam dispositus est, quod sit agens, & patiens per naturã.

4 Natura Dei est qualis propriè, & substantialitèr, æternalitèr, & infinitè: & ideò est qualitas substantialis sine aliquo accidente, per quam habet in se unum qualem naturantem, qui est bonus, magnus, æternus, potens &c. qui de sua *natura naturat* bonum alium qualem *naturatum*: & ex ambobus est spiratus unus alius qualis per naturam amoris: & ideo in divina natura sunt tres divinæ personæ naturales, sicut boni in divina bonitate, infiniti, infinitate, & æterni æternitate.

5 Vnde

Unde sequitur, quod divina sapientia est unus qualis naturalis, qui *intelligit*, & alius, qui est *intellectus*; & si intelligens, & intellectus non essent distincti, in ipsis non esset natura qualis, postquam intelligens non esset unus qualis, & intellectus alius: & sic de Sancto Spiritu in *amare*, ne sequeretur confusio intelligendi, & amandi prædictæ formæ naturæ sapientiæ, & voluntatis, in quibus qualitas non posset esse naturalis, neque substantialis: & intellectus intelligeret semet ipsum intellectum, & intelligeret semet ipsum intelligentem, & amatum in unitate numeri personalis, per qualitatem naturalem accidentalem, quod est impossibile. Per quod significatur, quod in divina natura est Trinitas personarum, quæ sunt distinctæ per qualitatem naturalem, & substantialem.

#### PARS VI.

##### QUANDO EST NATURA?

1 **N**atura Dei est æterna: & ideò fuit est, & erit sine tempore, quod æternum esse non potest. Et quia Deus Pater est æterna natura, & de toto se ipso *naturat* Deum Filium, fuit natura Filij, quando fuit, est, & erit natura Dei Patris: idem est de Spiritu Sancto. Unde sequitur, quod una divina persona in natura non sit antequam alia, postquam earum natura est una, & æterna.

2 Natura creata fuit in tempore, in loco, in substantia, & tempus creatum fuit in natura in loco, in substantia mundi, & locus fuit creatus in tempore, & in natura, & substantia mundi creata fuit in suo tempore, loco, & in natura: idcirco quodlibet prædictorum quatuor, ita citò creatum fuit sicut, alius; cum ita sit, quod unum ex illis sine alio esse non possit: fuit ergo natura creata tunc, quando fuit suum tempus, suus locus, & sua substantia, in quibus



quibus sustentatur per naturam naturatam.

3 In natura creata fuit creatus motus naturalis, ut natura esset principium motus, & ut esset motus, per *moventem* naturalem, & per *motum* naturalem, & per *mo-vere* naturale: & ideò *natura* fuit ita citò in successione naturali, sicut fuit in suo esse, ne esset otiosa, & ut per ipsam entia naturalia se moverent ad finem naturalem propter quem sunt.

4 Natura ignis fuit ita citò, sicut ignis, velut suus calor, qui fuit ita citò: sicut sua substantia, ut substantia ignis creata foret in natura, & in motu naturali: est ergo natura ignis, & sic de alijs elementis in continuo motu de uno nunc, in aliud.

5 Natura est in uno nunc per potentiam, sine motu: sicut Spica, quæ potentialiter est in grano frumenti, & naturalitèr: quandoquidem granum non est in terra, & quando granum in terra feminatum est, natura est in alio nunc cum motu, in quantum agens naturale movet spicam de potentia in actum per generationem. Et ideò natura secundum unum modum est in uno nunc, & secundum alium modum in alio nunc, & est principium motus de potentia in actum.

6 Natura intelligendi, & quæ est spiritualis in humano intellectu fuit ita citò, sicut intellectus, ut intellectus creatus foret ita in natura sua, & è converso natura sua in ipso. Unde sequitur quod in intellectu sunt per *naturam intelligens*, & intellectus, sine quibus in *Esse*, & substantialitèr, intellectus creari non posset natura intelligendi, & intellectus esset intelligens artificialitèr sine *natura*, quod est impossibile: est ergo natura intellectus ita citò, sicut est intellectus, & est in ipso per naturam *intelligentis*, *intellecti*, & *intelligere*, quæ sunt de sua essentia, & *natura*, sine quibus naturam non haberet ad intelligendum.

7 In intellectu hominis ante est scientia in potentia, quam in actu, & scientia, quæ est in potentia, est per unum nunc naturale sustentatum in *natura*, & Esse intellectus; & est in alio nunc naturali influxo per successionem accipiendi, aut ex habitu acquisito influxo, existunt intra potentiam naturalem; & ideò scientia terminatur per nunc potentiale, & per nunc actuale, mota in utroque nunc.

PARS VII.

*VBI EST NATURA?*

1 **N**atura divina est in semetipsa per essentiam, cum ita sit, quod ipsa sit infinita, & ens infinitum collocari non potest, nec comprehendi. Et in quantum natura divina est *naturans*, est in natura naturata: sicut causa, quæ est in suo effecto per totam naturam universi creati. Et natura divina est in sua *bonitate*, *magnitudine*, *aternitate*, *potestate*, & alijs suis dignitatibus, & virtutibus, ut de ipsa sint plenæ, & per ipsam sint naturales, & è converso, *Bonitas*, *magnitudo*, *aternitas*, & aliæ divinæ dignitates in ipsa sunt per essentiam: & ideò divina bonitas, & sic de alijs, in se habet *naturam*, *bonificantem* bonum naturalem, & *naturatum* *bonificatum*, & *naturale bonificatum*, *naturans*, & infinite.

2 Natura creata est in universo creato, in quantum in ipso sustentatur, & est pars illius, & in quantum per ipsam est naturatum, est natura in partibus mundi, ut per ipsam sint naturales, & motum habeant naturalem de potentia in actum, & in fine positum, propter quem est: sicut in grano frumenti, in quo est forma spicæ in potentia per naturam: & agens naturale *Naturans* movet spicam de potentia in actum per naturam.

3 Natura creata est inter essentiam, & Esse, hoc est subjectum *naturatum* per suam essentiam: sicut homo, qui est

est Esse naturale humanum per naturam suæ humanitatis, quæ est sua essentia, quæ naturam habet humanam ad generandum alium hominem, quem generat, quando suam naturam movet ad generandum illum hominem, quem generat, vel ponit in *actu*, & in sua specie naturali: idem est de leone, pomario, & alijs elementatis naturalibus.

4. Natura substantialis est in natura accidentali, & natura accidentalis in natura substantiali: sicut agens naturale, quod agit cum suis instrumentis accidentalibus naturalibus, movens naturam suam, cum ipsis ad finem, quem desiderat, in quò quiescit: sicut natura ignis substantialis, quæ cum suo calore, qui est natura accidentalis, & instrumentalis, calefacit substantias calefactas per motum, & calorem, qui est in natura substantiali: sicut motus per moventem, naturatum per naturantem, per movere, & naturare.

5. Natura spiritualis est in substantia spirituali: sicut natura intelligendi, quæ est in intellectu, cujus natura est, quod habeat naturam, quæ habeat *intelligentem*, & quæ habeat *intellectum*, & *intelligere*, in quo quidem intellectu consistit natura intelligibilitatis, per quam aliæ substantiæ ab intellectu differunt, sunt intelligibiles cum intelligere, quod est per naturam accidentalem caracterizatum, & sustentatum in intelligere, quod est intrà in intellectu, substantiale, & essentiale, & quod est de natura intellectus humani: & idem suo modo de intellectu Angelico.

## PARS VIII.

### QUOMODO EST NATURA?

**N**atura creata habet modum, per quem ipsa est hoc quod est, quem siquidem modum habet per

per sua naturalia concreta, hoc est per *Naturantem*, *Naturatum*, & *Naturare* in quibus est sustentata, & motu, & quæ habet modum essendi principium motus, qui naturaliter movet de potentia in actum: & modus iste est essentialiter de natura, & est radix modi accidentalis, qui dispositus est per alia Principia mota ad operationes naturales: sicut ignis, qui modum habet calefaciendi aerem, cum naturali calore per modum concordantiæ, & habet modum calefaciendi aquam, per modum contrariantem: & cum natura concordanti, quam habet cum aere transiens cum concordantia ad generandum, & corrumpendum.

2 Humanus intellectus habet modum intelligendi naturalem, per conjunctionem, quam sensitiva, & cum imaginativa, quæ sunt potentia corporis, cum quo conjunctus est: sicut homo per potentiam visivam habet naturalem modum videndi colorem, & figuram substantiarum corporalium, & absentatis; hoc est non visis colore, & figura corporalium, imaginando, modum habet retinendi species multiplicatas, quæ sunt similitudines abstractæ in fantasia coloris, & figuræ, quæ prius erant per visum objectatæ. Deinde intellectus modum habet naturalem faciendi species intelligibiles, quas accipit de imaginatione in intelligibilitate sua; quas quidem species in se coram in sua natura, seu per suam naturam intelligit.

3 Deus in sua natura habet modum per quem sua natura est: sicut Deus Pater, qui intelligit in se potestatem infinitam æternam bonam magnam, &c. idcirco modum habet ad producendum bonum Filium æternum infinitum potentem sapientem, &c. Et Pater, & Filius producunt Sanctum Spiritum naturaliter per amorem; & si Pater, & Filius non producerent Spiritum Sanctum, Deus intelligere non posset, quod in sua potestate infinita, & æterna haberet modum, & naturam infinitam, æternam, bonam, &c.  
quod

quod est impossibile.

4 Angelus naturam habet cum *modo*, & per *modum* suorum Principiorum naturalium: sicut voluntas Angeli, quæ *modum* habet amandi bonitatem, quæ bonitas amabilis est per voluntatem, & voluntas bona est per bonitatem: & ex voluntate, & bonitate exit *modus* boni amare. Idem est de *modo* boni intelligere, & de modo boni recolere, & de *modo* magni amare, intelligere, & recolere quoniam voluntas magna est per magnitudinem, & magnitudo per voluntatem est amata: & sic de memoria, & intellectu Angeli: & ex hac circulatione sequitur naturalis *modus*, quem habet Angelus in bono, & magno recolere, intelligere, & amare.

5 Et idem dici potest per *durationem*, *Potestatem*, &c. etiam per *circulationem*, quam habent potentia boni Angeli, sicut suus intellectus, qui intelligit memoriam, voluntatem, & se ipsum, & dictorum conditiones, & suas: & memoria sentit illud idem per recolere, & sua voluntas per amare; & quia natura Angeli non est conjuncta cum corpore, habet *modum naturalem*, sine fantasia, & sine multiplicatione specierum illius intelligere, recolere, & amare, & habet in corporibus inferioribus bonam, & magnam potestatem, &c.

## PARS IX.

### CVM QVO EST NATURA?

**N**atura Divina est cum semet ipsa, & non cum alia, quæ non sit de sua essentia; cum ita sit, quod substantia æterna, infinita, bona, &c. necessitatem non habeat, quod sit cum alia essentia, vel per aliam essentiam, quæ non sit de sua essentia: & ideo natura Divina est cum se ipsa hoc quod est: ex cum sua *bonitate*, *magnitudine*,

*tudine*, & alijs: & est cum *Naturante*, *Naturato*, & *Naturare*: Patre *Naturante* Filium, cum sua bonitate, magnitudine, æternitate, & alijs: & quælibet persona est bona cum bonitate, magnitudine, æternitate, & sic de alijs, & unitate: & omnes tres sunt una *natura*, unus Deus, cum bonitate, magnitudine, æternitate, & alijs.

2 *Natura* Angeli est cum suis Principijs coessentialibus, & Principia illius sunt cum sua *natura*, naturalia, ut constituent naturalem substantiam Angeli, qui habeat naturalem operationem per bonum, & magnum durare, recolere, intelligere, & amare.

3 Homo naturam habet cum quinque potentijs naturalibus, quæ sunt *Elementativa*, *Vegetativa*, *Sensitiva*, *Imaginativa*, & *Rationativa*. Cum *Elementativa* naturam habet calefaciendi, &c. & elementandi alium hominem filium suum. Cum *Vegetativa* habet naturam convertendi hoc, quod comedit in suam carnem. Cum *sensitiva* habet naturam sentiendi. Cum *Imaginativa* habet naturam Imaginandi. Et cum *Rationativa* habet naturam recolendi, intelligendi, & amandi. Et cum omnibus quinque potentijs habet unam naturam generalem humanam, cum qua homo utitur suis partibus naturalibus.


4 *Ignis* naturam habet cum *æthere*, & *calore*, & naturam habet cum natura aeris aque, & terræ per elementare: & agens naturale cum quatuor elementis, & hoc cum natura solis, & aliarum stellarum. *Pomarium* naturam habet cum natura *elementativa*, & *Vegetativa*, & cum natura cæli, quam habet cum motu naturali ad elementandum, & vegetandum aquam, & sic de alijs elementis, in sua specie, & essentia.


5 Investigavimus naturam, & ejus conditiones per novem Quæstiones antedictas cum quibus secreta naturæ invenimus, & suas conditiones: & doctrinam dedimus, & modum

modum quomodo homo sciat respondere ad Quæstiones, quæ fieri possunt de natura. Quoniam si quærat, *Quid est Natura?* Respondendum est secundum modum, quem dedimus in prima Quæstione. Et si quærat *De quo est Natura?* Respondendum est, ut in secunda Quæstione, supra continetur: & sic de alijs Quæstionibus suo modo, hoc est, quod homo accipiat modum, & exemplum ad solvendum Quæstiones peregrinas, quæ fieri possunt de Natura, secundum processum, quem fecimus in Quæstionibus hujus tractatus.

Finivit Raymundus hunc librum in Cipeo in Civitate Famagustæ in Mense Dezembris anno 1301.

DEO GRATIAS.







# TABVLA TITVLO-

## RVM LOGICÆ NOVÆ.

*Arbor Naturalis, & Logicalis, quæ corde tenus sciri debet,  
& pluriès considerari.*

<b>D</b> E Ente, & ipsius divisione.	pag.	3.
De Substantia, & ipsius divisione.	pag.	5.
De Corpore, & ipsius divisione.	pag.	9.
De Animalì. De Homine, cum definitionibus.	pag.	10.
De Decem Quæst. vel Reg. Gen. à pag. 11. ad	pag.	17.
De Quinque Prædicabilibus, & Genere.	pag.	18.
De Specie. Differentia. Proprietate. Accidente.		
per Regulas deductis. à pag. 21. ad	pag.	32.
De Prædicamento Substantiæ per Reg.	pag.	35.
De Quantitate. Qualitate. Relatione.	pag. 40. ad	45.
De Actione. Passione. Habitu.	pag. 48. ad	51.
De Situ. Tempore, & Loco.	pag. 54. ad	58.
De Centum Formis, & de Individuo per Reg.	pag.	60.
De Bonitate per Regulas deducta.	pag.	63.
De Essentia. Natura. Forma. Materia.	pag.	69.
Immobilitas. Mobilitas. Motus.	pag.	69.
Dubitatio. Affectus. Negatio. Memoria.	pag.	69.
Intentio. Generatio. Corruptio. Privatio.	pag.	70.
Opinio. Suspicio. Conditio.	pag.	70.
Antecedens. Consequens. Derivatio.	pag.	70.
Influentia. Refluentia. Abstractum. Concretum.	pag.	70.
Causa. Effectus. Occasio.	pag.	71.
Simplex. Compositum. Intensitas.	pag.	71.
Existentia. Agentia. Figura.	pag.	71.
Necessitas. Contingentia. Fortuna.	pag.	71.
Dispositio Subtilitas. pag. 71. Plenum Vacuum.	pag.	72.
Potentia. Objectum, Actus. Umbra.	pag.	72.

\*

Sig-

Significatio. Similitudo. Attractio. Impressio.	pag.	72.
Elementativa. pag. 72. Vegetativa. Sensitiva.		
Imaginativa. Rationativa.	pag.	73.
Obstinatio. Cōtradiçtio. Capacitas. Circunstãtia.	pag.	73.
Proporçio. Suppositio.	pag.	73.
Punctus. Linea. Humidum radicale.		
Humidum nutrimentale.	pag.	74.
Alteratio. Augmentatio. Confusio. Consuma-		
tio. Successio.	pag.	74.
Mors. Secretum.	pag.	74.
Ordo. Continuitas. Divisio.	pag.	75.
Cogitatio. Audacia. Artificium. Scientia.		
Applicatio.	pag.	75.
De Propositione, & divisione ipsius.	pag.	77.
De Definitione per quatuor causas.	pag.	81.
De Demonstratione, & modis ipsius.	pag.	82.
De Probatione, & tribus speciebus ipsius.	pag.	83.
De Locis, & Speciebus ipsius.	pag.	84.
De Impossibili, & tribus speciebus ipsius.	pag.	85.
De Possibili, & duabus speciebus ipsius.	pag.	86.
De Constitutione Syllogismi.	pag.	87.
De Comparatione Syllogismi.	88. De Con-	
ditione Syllogismi.		89.
De Syllogismo per decem Reg. deducto.	pag.	90.
De Figuris Syllogismi.	pag. 92. & pag.	93.
De Paralogismo, vel fallacijs.	pag. 94. & pag.	95.
De Æquivocatione, & Analogo.	pag.	97.
De Amphibologia.	pag.	98.
De Fallacia secundum quid, ad simpliciter.	pag.	104.
De Natura per decem Reg. Gen. deducta.	pag.	114.
De Applicatione Logicæ ad Theologiam.	pag.	117.
De Applicatione Logicæ ad Philosophiam.	pag.	121.
De Applicatione Logicæ ad Moralia.	pag.	123.

De

		3
De Applicatione Logicæ ad Scientiam Juris.	pag.	124.
De Applicatione Logicæ ad Scientiã Medicinæ.	pag.	125.
De Quæstionibus primæ distinctionis.	pag.	127.
Quæstiones de Genere. pag. 130. De Specie.	pag.	131.
Quæstiones de Differentia.	pag.	133.
Quæstiones de Proprietate, & De Accidente.	pag.	134.
Quæstiones de Substantia pag. 135. & De alijs Prædicamentis.	pag.	142.
Quæstiones de Individuo.	pag.	143.
Quæstiones de Bonitate, & Reliquis centum Formis.	pag.	144.
Quæstiones 5. dist. De propositione.	pag.	151.
Quæstiones Naturæ.	pag.	153.
Quæstiones Theologiæ. pag. 154. Philosophiæ.	pag.	155.
Quæstiones Juris. pag. 156. Medicinæ.	pag.	157.
De modo Inveniendi Media ad formandum Syllogismos, & Paralogismos.	pag.	161.

# TABVLA TITVLO-

## RVM LOGICÆ PARVÆ.

<b>D</b> E Terminis.	pag.	3.
De intentionibus, & Impositionibus.	pag.	6.
De Prædicabilibus.	pag.	7.
De Prædicamentis.	pag.	8.
De Substantia. De Quantitate. De Qualitate.	pag.	9.
De Relatione. Actione. Passione. Situ.	pag.	10.
De Habitu. Tempore. Loco. Propositione.	pag.	11.
De Quantitate Propositionis Cathegoricæ.	pag.	12.
De Qualitate Propositionum.	pag.	13.
De Petitionibus. Quæ. Qualis. Quanta.	pag.	13.
De Conversionibus.	pag.	14.

De

De Oppositionibus. pag. 15.	De Æquipollētijis. pag.	17.
De Propositione Hypotetica, & modis ipsius.	pag.	18.
De Propositionibus æquivalentibus hypoteticis.	pag.	21.
De Terminis Modificativis.	pag.	24.
De Propositionibus Modalibus	pag.	25.
De Differentia propositionum, & Suppositione.	pag.	27.
De Regulis Suppositionum.	pag.	30.
De Ampliationibus Propositionum, & Regulis.	pag.	31.
De Appellationibus, & Regulis ipsius.	pag.	34.
De Syllogismo, & Conditionibus ipsius.	pag.	36.
De Inductione, & modis ipsius.	pag.	37.
De Entymemate.	pag.	38.
De Exemplo. De Antecedente, & Consequente.		
Et de Locis.	pag.	39.
De Regulis locorum arguendi.	pag.	40.
De Demonstrationibus, & Speciebus ipsius.	pag.	51.
De Paralogismo, & Fallacijs.	pag.	54.

## TABVLA TITV.

BRVM.

*Libri de Quinque Prædicamentis, & de Quatuor Prædictamentis.*

DE Genere.	pag. 4.	De Specie.	pag. 5.
De Differentia	pag. 6.	De Proprietate,	
& Accidente.		pag.	7.
De Prædicamento Substantiæ, & Quantitatis.	pag.	9.	
De Prædicamento Qualitatis.	pag. 10.	Rela-	
tionis.		pag.	11.
De Prædicamento Actionis	pag. 12.	Passionis,	
& Habitús.		pag.	13.
De Situ	pag. 14.	De Tempore.	pag. 15.
De Loco.		pag.	16.

TABVLA

# TABVLA TITV-

## LORVM.

### *Libri de Natura.*

<b>D</b> E Definitione Naturæ.	pag.	4.
De Quo est Natura? & Quare est Natura?	pag.	6.
Quanta est Natura? pag. 9.	Qualis est Natura? pag.	11.
Quando est Natura? pag. 12.	Ubi est Natura? pag.	14.
Quomodo est Natura?	pag.	15.
Cum quo est Natura?	pag.	17.

Nota in Prologo Logicæ Novæ super terminum *fœcunditas*, quod fœcunditas naturæ, est plena per generare, & spirare. Item: quodlibet in divinis retinet, quod propriæ perfectionis est, ut notavit S. Albertus Magnus. Et de natura intellectus est generare Verbum, & de natura voluntatis spirare Amorem: & sic, est plenitudo perfecta, per Verbum genitum, & Amorem Spiratum: Et sicut S. Augustinus dixit: Amans Amatum, & Amor: similiter sonant Activum, Passivum, Connexivum.

## ERRATA CORRECTA

*In Libro Logica Nova.*

- Pag. 8. linea 5. reſtitutionem lege reſtitudinem  
 Pag. 13. n. 4. linea 4. dominum lege dominium  
 Pag. 15. littera H. linea 4. quator lege quatuor  
 Pag. 20. litt. G. linea 8. eſt lege &c  
 Pag. 21. litt. b. linea 3. homnis lege omnis  
 Pag. 22. linea 7. cecus lege fecus  
 Pag. 38. litt. F2. linea 11. ut ſis lege *ut ſit*  
 Pag. 39. lin. 1. actu eſt lege actu, eſt  
 Pag. 41. litt. F. linea 2. tota lege tanta  
 Ibidem litt. H. linea 2. eſſe poteſt lege eſſe non poteſt  
 Pag. 46. litt. F1. linea 2. dualiaate lege dualitate  
 Pag. 48. litt. B. linea 13. ſeorſum lege ſeorſim  
 Pag. 52. litt. F2. linea 4. chalmydem lege chlamydem  
 Pag. 54. litt. D2. linea 2. habituata de Situ lege habituata de habitu  
 Pag. 55. litt. I. linea 3. triangulis lege trianguli  
 Pag. 66. litt. I. linea 5. actualiter, & lege. Actualiter quando  
 Pag. 72. num. 66. linea 1. id quod lege id per quod  
 Pag. 73. num. 78. linea 2. invicem, lege invicem  
 Pag. 74. num. 90. linea 2. n. um, lege motum  
 Pag. 77. num. 2. linea 7. eſt lege eſt  
 Pag. 86. num. 21. linea ultir. vua lege una  
 Pag. 88. linea 2. Enthymema. Entimema  
 Ibidem linea 3. qua, & dicitur lege qua  
 Pag. 89. lin. 1. intelligere eſt, lege intelligere, eſt  
 Pag. 97. num. 2. linea 2. Syus lege Sydus  
 Pag. 106. num. 3. linea 6. eodem lege eodem  
 pag. 108. num. 6. linea 3. & 4. Plationis lege Platonis  
 Pag. 109. num. 2. lin. 6. mel eſt, rubeum lege mel, eſt rubeum  
 Pag. 114. litt. B. linea 3. poſſunt lege poſſet  
 Pag. 116. litt. I. linea 5. exiſtitit lege exiſtit  
 Pag. 123. num. 5. linea ultima ſuggeſtioevem perpretantur lege ſug-  
 geſtionem perpetrantur  
 Pag. 127. De Diſiſione. linea 3. aſſinabimus lege aſſignabimus  
 Pag. 130. num. 2. linea 1. ſupirficie lege ſuperficie

Pag.

- Pag. 132. num. 7. lin. 1. extensivum lege extensum
- Pag. 133. n. 11. linea 2. subjecto, est quod, lege subjecto est, quod
- Pag. 134. num. 12. linea 1. in esse lege inesse
- Pag. 137. num. 6. linea 1. sit essentia lege sit de essentia
- Pag. 139. num. 2. linea 1. possibilis lege passibilis
- Pag. 141. num. 2. linea 2. F. D. lege G. D.
- Pag. 243. linea 1. Quomodo lege Quando
- Pag. 145. num. 12. linea 1. unum lege utrum
- Ibidem num. 15. linea 1. es lege est
- Ibidem num. 2. linea 2. distat á lege distat magis á
- Pag. 153. num. 18. linea 2. Quale lege Quantum
- Pag. 157. num. 18. linea 2. Principijs lege Principis
- Pag. 158. Titulo adde Primæ Distinctionis
- Pag. 161. num. 9. linea 3. quidem lege quidem

# ERRATA INVENTA

## IN LIBRO.

### *Logica Parva.*

- P**ag. 5. n. 16. line. 2. Cathematicum lege Cathegorematicus
- Pag. 7. num. 1. linea. 3. impositionis lege impositionis
- Pag. 10. linea 10. bilie lege bile
- Pag. 15. num. 5. linea 6. infinito lege infinito
- Ibidem. num. 1. 2. subalternam lege subalternam
- Ibidem num. 3. linea 3. diversa lege diversa
- Pag. 27. num. 3. linea 4. Scolaris lege Scholaris
- Pag. 32. num. 3. lin. 7. calidum lege calidum
- Pag. 33. num. 8. linea 2. ampliatur lege ampliatur
- Pag. 35. num. 8. linea 1. Deum trinum, lege Deum, trinum
- Pag. 35. num. 9. linea 3. colunt, Deum lege colunt Deum
- Pag. 36. in Titulo naciur lege nascitur
- Pag. 46. num. 31. linea 3. nudus lege nudiús
- Pag. 49. num. 45. linea 2. Grammaticam lege gratiam
- Pag. 58. num. 3. linea ultima tria lege tria,
- Pag. 59. nu. 6. linea 3. per cursum, illo percursus est lege percussum,  
illo percussus est

Pag.

- Pag. 60. num. 2. linea 3. actuum lege acutum  
 Pag. 61. num. 3. linea 1. homo lege hamo  
 Pag. 63. cap. 9. num. 1. linea 1. accidens lege accidentis  
 Pag. 64. num. 5. linea 8. contiguæ lege continuæ  
 Pag. 69. num. 3. linea 6. principatum lege principiatum  
 Pag. 7. in Titulo intorrogationet lege interrogationes

## ERRATA INVENTA.

*In Libro de Quinque Predicabilibus, & decem Predicamentis.*

- P** Pag. 6. num. 3. lin. 6. monstuositas lege monstruositas  
 Pag. 14. linea 12. monstruositates lege monstruositates  
 Pag. 16. num. 1. linea 10. pars non lege pars esset

## ERRATA INVENTA.

*In Libro de Natura.*

- P** Pag. 5. num. 7. lin. 4. intellectat lege intellecta  
 Pag. 6. in 3. parte num. 1. lin. 1. pomorio lege pomario  
 Pag. 8. num. 5. lin. 7. iudicium lege indicium  
 Pag. 8. num. 6. linea 7. dignum lege naturam  
 Pag. 12. num. 1. linea 3. potest. Et lege potest. Et  
 Pag. 14. n. 1. linea 11. naturam lege naturantem  
 Pag. 16. linea 2. motu lege motu  
 Pag. 17. n. 4. lin. 7. recolere. Et lege recolere. Et  
 Ibidem linea 10. circulatione lege circulatione

### ERRATA IN APPROBATIONE INVENTA.

- P** Pag. 6. linea 10. falso subtili lege falso subtili  
 Ibidem linea 18. Arbitter lege Arbitrer  
 Pag. 7. linea 18. infundit lege infudit  
 Ibidem linea 19. gravifus lege gavifus

### ERRATA IN PROLOGO AD LECTOREM.

*In Logica Nova.*

- P** Pag. 12. lin. 18. unitem lege unitatem  
 Pag. 13. linea 14. Æliqualitas lege Æqualitatis  
 Ibidem linea 22. & Agibile lege Agibile



BIBL. PUBL. MALLORCA



1056872

R. Lluï 262-C

THE  
BRITISH  
LOGICAL  
CANTON  
VA

R.

Lull

262-C